This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

V. 5.

5

11. sz.

267712

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

2.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

6.

HATODIK KÖTET.

PEST, 1860.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
1902 L

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

VI.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY: IRÓK.

HATODIK KÖTET.

PEST, 1860.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

VERANCSICS ANTAL

M. KIR. HELYTARTÓ, ESZTERGOMI ÉRSEK

ÖSSZES MUNKÁI.

KÖZLI

SZALAY LÁSZLÓ

M. AKAD. R. T.

V. 5.

ÖTÖDIK KÖTET.

MÁSODIK PORTAI KÖVETSÉG

1567–1568.

PUBLIC LIBRARY

PEST, 1860.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

AN

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
287742
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
1902 L

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Pest, 1860. Emich Gusztáv M. Akad. nyomdász.

ELŐSZÓ.

Verancsics munkáinak jelen hatodik kötete a nagynevü férfiú második portai követségét tartalmazza, kettős toldalékkal, melyeknek egyike közvetve vagy közvetlenül szintén e követségre, másika a Verancsicsok történetére vonatkozik.

Bevezetésül e helytt számot kell adnom, külön mindenik darabot honnan vettem, kijelelvén egyúttal a nyomtatott munkákat, melyekben közűlök több, egészen, vagy töredékben, kisebb nagyobb hűséggel már korábban is megjelent vala.

I. Eredeti.	2380. fol. lat.	nemz. muz. kéziratgyüjteménye	Miller, Epistolae Ferdinandi et Maximiliani ad suos in Porta Otomannica oratores. Pest, 1808.
II. Fogalmazat *).	1681. „	„ „ „ „	Katona Hist. Crit.
III. Eredeti	1660. „	„ „ „ „	Miller.
IV. Eredeti.	1660. „	„ „ „ „	„
V. Ujabb másolat.	2380. „	„ „ „ „	„

*) Az eredetinek a szerző vagy titkári kéz által vett másolatát néha nem igen lehetvén megkülönböztetni a fogalmazattól, kivált ha ebben nincsenek igazítások, törlések sat., a fogalmazat szó itt néha ilyetén másolatot is jelent.

VI.	Eredeti.	1660.	fol.	lat.	nemz.	mus.	k.gy.	Miller, Epistolae Ferdinandi et Maximiliani ad oratores. Pest, 1808.
VII.	Eredeti.	2380.	„	„	„	„	„	„
VIII.	Eredeti.	2380.	„	„	„	„	„	„
IX.	Eredeti.	2380.	„	„	„	„	„	„
X.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XI.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XII.	Eredeti.	2381.	„	„	„	„	„	—
XIII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona Hist. Crit.
XIV.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XV.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XVI.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XVII.	Eredeti.	2381.	„	„	„	„	„	—
XVIII.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	Miller.
XIX.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XX.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XXI.	Eredeti.	422.	„	„	„	„	„	—
XXII.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	Miller.
XXIII.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XXIV.	Egykoru más.	2380.	„	„	„	„	„	„
XXV.	Egykoru más.	2380.	„	„	„	„	„	„
XXVI.	Egykoru más.	2380.	„	„	„	„	„	„
XXVII.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XXVIII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XXIX.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	—
XXX.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	Miller.
XXXI.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XXXII.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	Miller.
XXXIII.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XXXIV.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XXXV.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XXXVI.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	—
XXXVII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	—
XXXVIII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XXXIX.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	Miller.
XL.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XLI.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	„
XLII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XLIII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XLIV.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XLV.	Eredeti.	1660.	„	„	„	„	„	Miller.
XLVI.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	Katona.
XLVII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„
XLVIII.	Fogalm.	1681.	„	„	„	„	„	„

XLIX.	Eredeti.	1660. fol. lat. nemz. muz. kéz.gy.	Miller.
L.	Fogalm.	2380. „ „ „ „ „	—
LI.	Fogalm.	2380. „ „ „ „ „	—
LII.	Fogalm.	2380. „ „ „ „ „	Miller.
LIII.	Eredeti.	2381. „ „ „ „ „	„
LIV.	Eredeti.	2380. „ „ „ „ „	Kovachich, (Script. min. I. k.)
LV.	Eredeti.	2380. „ „ „ „ „	Miller.
LVI.	Fogalm.	Verancsics-codex a győrmegyei növendékpaphás kéziratgyüjteményében.	Katona Hist. Crit. Pray Epist. Proc. Schmitth Episc. Agr.
LVII.	Fogalm.	1681. fol. lat. nemz. muz. k.gy.	Katona.
LVIII.	Fogalm.	1681. „ „ „ „ „	„
LIX.	Egykoru más.	1681. „ „ „ „ „	„
LX.	Fogalm.	1681. „ „ „ „ „	„
LXI.	Fogalm.	1681. „ „ „ „ „	„
LXII.	Eredeti.	2380. „ „ „ „ „	Miller.
LXIII.	Eredeti.	2380. „ „ „ „ „	„
LXIV.	Fogalm.	1681. „ „ „ „ „	Katona.

ELSŐ TOLDALÉK:

I.	Egykoru másolat.	2380. fol. lat. nemz. muz. k.gy.	Miller.
II.	Egykoru másolat.	2380. „ „ „ „ „	„
III.	Pray, Epist. Procerum.		
IV.	„ „ „		
V.	„ „ „		

MÁSODIK TOLDALÉK:

XXVI.	Eredeti.	2381. fol. lat. nemz. muz. kéziratgyüjteményében.
XXVII.	Eredeti.	2381. „ „ „ „ „ „
XXVIII.	Schmitth, Episcopi Agrienses. Katona, Hist. Crit.	
XXIX.	Kovachich, Script. rerum hungar. minores.	
XXX.	Egyk. m.	1180. fol. lat. nemzeti muzeum kéziratgyüjtem.
XXXI.	Egyk. m.	1180. „ „ „ „ „ „
XXXII.	Eredeti.	1180. „ „ „ „ „ „
XXXIII.	Eredeti.	2381. „ „ „ „ „ „
XXXIV.	Eredeti.	1542. „ „ „ „ „ „
XXXV.	Eredeti.	2381. „ „ „ „ „ „
XXXVI.	Eredeti.	2381. „ „ „ „ „ „

XXXVII.	Egyk. m.	1681.	fol. lat.	nemz. muz.	kéziratgy.	Katona.
XXXVIII.	Eredeti.	1542.	„	„	„	—
XXXIX.a)	Egyk. m.	1681.	„	„	„	—
XXXIX.b)	„ „	1681.	„	„	„	Katona.
XL.	Eredeti.	2381.	„	„	„	Miller.
XLI.	Eredeti.	2381.	„	„	„	—
XLII.	Egyk. m.	1542.	„	„	„	—
XLIII.	Eredeti.	2381.	„	„	„	—
XLIV.	Eredeti.	2381.	„	„	„	—
XLV.	Fogalm. *)	1681.	„	„	„	Katona.
XLVI.	Ujabb más.	2380.	„	„	„	Miller.
XLVII.	Ujabb m.	2380.	„	„	„	„

XLVIII. Egykoru másolat. Hevenesi kéziratok, XXX. fol. a pesti egyetem könyvtárában.

XLIX. Egykoru másolat. Hevenesi kéziratok, XXX. fol. a pesti egyetem könyvtárában.

L. Egykoru másolat. Hevenesi kéziratok, XXX. fol. a pesti egyetem könyvtárában.

LI. Egykoru másolat. Hevenesi kéziratok, XXX. fol. a pesti egyetem könyvtárában.

LII. Eredeti. 1542. fol. lat. nemz. muz. kéziratgy.

LIII. Eredeti. 2381. „ „ „ „ „ Miller.

LIV. Egykoru másolat. Hevenesi kéziratok, XXX. foly. a pesti egyetem könyvt.

LV. Eredeti. 1542. fol. lat. nemz. muz. kéziratgyüjteményében.

Hátra van még, hogy a nemzeti muzeum könyvtára tudós őrének, Mátray Gábornak e helyett is köszönetet mondjak azon megbecsülhetetlen buzgalmáért. melylyel hivatalos állásában jelen kötet szerkesztését is, a gondjaira bizott kincsek készséges közlésével szíves volt előmozdítani.

Pest, május 5-én 1860.

Sz. L.

---

*) A Verancsicsok nemeslevelét magában foglaló ezen szám, a mi Antalunk fogalmazata; kérdés, ha magáévá tette-e Maximilián?

I.

Trautson Jánosnak Musztafa budai pasa.

Az nagyságos Trauczon Jánosnak, és római csá- 1567. jun. 4.
szárnak fő követinek orátorinak.

Mi Musztafa pasa, Budán az hatalmas császárnak fő heltartója és gondviselője ez országban.

Tekentetös és nagyságos úr, nekünk szerelmes barátunk, köszönetönket és barátságunkat ajánljuk te nagyságodnak.

Megadák minekünk az nagyságod levelét, melyet irt te nagyságod, az római cszászár akaratja szörént, 4. die Junii, kiben jelönté te nagyságod az tisztösségös ajándéknak beküldését jelös fő követök által, az egri pispöktül Antal pispöktül és Teufenpach Kristóftul. Jelönté ezt is nagyságod, hogy az mi kegyelmes urunknak az hatalmas császárnak volna hitlevele ű fölségénél, mitülönk is ugyanazon hatalmas császárnak hitlevele szörént kivánna nagyságod ez személyöknek hitlevelet, mely hitlevelönk mellett mindön készületökkel ünmagok, lovok, jószágok, szolgájok békével járhatnának.

Mastan azért fogadjuk az mi hitönkre, tisztösségünkre, hogy senkitül semmi bántások nem leszön, sem ünmagoknak, sem marhájoknak, sem szolgájoknak, semmiöknek, és mindönütt nagy tisztösséggel

fő embirink által késértetjük : ebben te nagyságod semmit ne kétölködjék. Ennek bizonságára adjuk az mi pöcsétös hitlevelönket. Isten tartsa meg nagyságodat. Datum Budae 4. die Junii anno Domini 1567. Jüjenek és mönjenek.

II.

Zay Ferenczuek Verancsics Antal.

Ad Franciscum Zay.

1567. jun. 12. Sic Deo et caesarea majestate ac fatis meis volentibus, ego iterum eo in Turciam cum legatione de pace. Quod felix et faustum sit, quum caesareae majestati, domino nostro clementissimo optimoque principi, tum et regno afflictissimo Hungariae et toti Christianitati. Mihique sic ubique et in tota actione idem dominus Deus adsit, ut omnibus ex alto donis instructus redeam exorator, et cuncta peragam, quaecunque publica complexa est exspectatio.

Legi autem quasdam litteras magnificae dominationis vestrae ad amicum quemdam, utrique nostrum communem, quibus dissuadebat mihi tantae provinciae molem. De qua ejus pietate ago quidem magnificae dominationi vestrae magnas gratias; verum quia et caesar et patriae pietas istam ejus longissimo tractu superat, voluisset ne, ut et caesaris preces exspectassem et necessitati patriae defuissem, meamque vitam, meumque bonum pluris fecissem, quam patriae, quam tanti caesaris, cui subditorum ac servorum qui non gratificari atque obedire student, impii sane sunt et omnis tum civilitatis tum humanitatis expertes, ignarique officii.

Jacta itaque est alea, experiarque adhuc semel, an sexagenarius etiam possim patriae ostendere, quantum pro incolumitate ejus et hactenus voluerim, et imposterum velim. Reliqua mea Dei curae commisi. Cupidus ab eadem scire, ut si quid Constantinopoli velit, mihi jubeat, idque per veredarium; et bene valeat. Viennae 12. Junii 1567.

III.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián császár.

Reverendo, ac egregio, Antonio Verancio, epi- 1567. jun. 17.
scopo Agriensi, et Christophoro Teuffenpach consiliariis nostris, fidelibus nobis dilectis. Cito cito citissime cito citissime cito. Wienn.

Verancsics kezével: Redditae Viennae 18. Junii 1567.

Maximilianus secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, ac Hungariae, Bohemiaeque rex, etc.

Reverende, ac egregie, fideles nobis dilecti. — Dubium nobis non est, quin mandatum nostrum decimo quinto die praesentis mensis ad vos editum acceperitis. Cum autem propter certas et gravissimas causas legatio vestra maturanda sit, et munera quae ad profectionem pertinent jam in promptu habeamus, iterum vobis, et serio praecipimus mandantes, ut res vestras celeriter istic componatis, neque vobis prius quidquam esse sinatis, quam ut celerrime huc advoletis, neque ultra praefixum Sabbathi diem, qui erit vigesimus primus hujus mensis, istic haereatis.

Quo modo certam et omnimodam exequemini voluntatem nostram. Datae in arce nostra Posoniensi, decima septima die Junii anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto *), regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungarici quarto, Bohemici vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium Hieronymus Beck a Leopoldstorf m. p. H. Fieringer m. p. J. Hueber m. p.

IV.

Ugyanazoknak ugyanaz.

1567. jun. 23. Maximilianus Secundus, divina favente clementia, electus Romanorum imperator, semper augustus etc.

Informatio pro reverendo devoto, ac nobile, fidelibus nobis dilectis, Antonio Verancio episcopo Agriensi, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis et oratoribus nostris ad serenissimum imperatorem Turcarum, vicinum et amicum nostrum honoratum destinatis, de his quae apud spectabilem ac magnificum virum sincere nobis dilectum Muztaffa passam, dicti serenissimi Turcarum imperatoris Budae locumtenentem agere et tractare debebunt:

In primis maiore, quam fieri poterit, celeritate Budam sese conferant, et habita apud jam dictum passam audientia, illi redditis litteris nostris credititiis, salutem verbis nostris dicant, ac insuper etiam gratiam et benignitatem nostram caesaream deferant, et postmodum ulterius exponant: nos ex eo tempore, quo ipse ad hanc praefecturam et gubernium,

*) Tollhibából, septimo helyett.

virtutibus ejus debitum, evectus fuit, et maxime, posteaquam mentio fieri cepta est pacis et concordiae inter nos et serenissimum ejus imperatorem sarciendae, singularem quandam non solum erga nos ipsos, sed ad publicam quoque quietem, voluntatem et studium in eo perspexisse, ut qui jam dudum ultro sese obtulerit promtum atque paratum, juvare atque promovere, quaecunque ad ejusmodi pacem et amicitiam, utrinque contrahendam, pertinere videantur; eam vero tam praeclaram ipsius voluntatem nobis, et publico et privato nomine valde gratam accidisse, nosque inde spem concepisse, hoc illius egregium institutum afflictis Hungariae subditis et colonis magno solatio esse futurum, ipsumque summa cura elaboraturum, ut idem regnum se praesente non magis deficiat, sed potius, quantum fieri potest, augeatur atque florescat, quod tum maxime sit futurum, si ipsius opera induciae *) passim per omnia confinia, cum in Hungaria, tum in Dalmatia quoque, et Croatia, Sclavoniaque, item Transsylvania, Moldavia et Transalpinia candide serventur, miserisque colonis libera sit pot estas agros et terram sine metu, vel periculo colendi, licentiaque et temeritas praefectorum et militum coerceatur, quemadmodum equidem summa necessitas postulat ipsum passam in id omnibus viribus incumbere, siquidem ex supremi nostri curiae magistri litteris cognoscere potuit, Turcas necdum in confiniis quiescere, sed nuper primum castellum quoddam Chakan et postea etiam oppidum Canisam aggressos oppugnasse; eandem autem curam nos similiter non esse postposituros, sed diligenter prospecturos, ut induciae firmiter atque inviolate a nostris capitaneis, praefectis, militibu ets

(* Ezen szó az eredetiben tollhibából hiányzik.

subditis observentur, in eos, qui contumaces et inobedientes fuerint, graviter animadversuri.

Caeterum volentes eidem passae Budensi benigni et grati animi nostri propensionem evidenti quopiam argumento contestari, nos ei per ipsos oratores nostros munusculum mittendum duxisse: quod si laeto atque grato animo accepturus sit, id nobis auditu perquam jucundum fore; non defuturum etiam ei in posterum caesaream gratiam atque beneficentiam nostram, siquidem non dubitamus, quin deinceps itidem in hoc, quod praesefert, pacis et quietis studio constanter sit perseveraturus. Itaque oratores nostri illi tunc, vel quando magis opportunum erit, deputatum a nobis munus, videlicet duorum millium talerorum in duabus cuppis deauratis offerre, idque verbis condecentibus latius ornare.

Praeterea postulabunt oratores nostri, sese, juxta litteras et voluntatem serenissimi imperatoris sui, et sub salvo conductu suo per homines graves et idoneos quantocius ad excelsam domini sui portam tuto atque secure deduci, eumque iterum atque iterum admonebunt et cohortabuntur, ut pro sua quoque parte hoc pacis negotium litteris suis, ad portam scribendis, vel quacunque ratione noverit, juvandum atque promovendum suscipiat, pollicendo, quod ipsius operam ac diligentiam posthac etiam beneficentia nostra caesarea affatim recognituri simus.

Qui quidem passa Budensis, si forte sciscitaretur de conditionibus, sub quibus pacem firmari cupiamus, quo melius scilicet postulata nostra promovere et fovere possit, eas ipsi oratores nostri exponere non debebunt, sed modeste se excusabunt, allegantes sibi non esse integrum, conditiones illas cuiquam homi-

num prius, quam ipsimet serenissimo Turcarum imperatori, et supremo ejus consiliario enunciare, siquidem nullum a nobis de hoc mandatum acceperint.

Ad haec oratores nostri debebunt etiam, postea-quam Budam pervenerint, perquirere, num adhuc ibi detineatur unus ex servitoribus egregii fidelis nobis dilecti, Georgii Hozzuttotty, nostri in camera Hungarica consiliarii, quos cum oportuisset eum in suo discessu Constantinopoli relinquere, postea orator noster Albertus de Wyss Budam expedivit. Relatum enim est nobis, perfidum quemdam militem nostrum, Ladislaum Vaivodam vocatum, cepto isthic jurgio, cum uno ex dictis servitoribus praefati Georgii Huzzuttotty, perfecisse apud passam Budensem, quod miser ille excussus, et spoliatus litteris, quas apud se habuit, graviter insuper vapulaverit, et in carcerem conjectus fuerit, et caeteri quoque servitores detenti, postea tamen dimissi. Quodsi igitur passa illum ad petitionem intimi nostri consiliarii et supremi curiae, magistri, jussu nostro factam, nondum dimisisse t oratoribus nostris elaborandum erit, ut eum ulterius non detineat, sed ad suos salvum redire sinat.

Tandem vero Buda expediti atque dimissi, ad nos rescribant, quid ibidem cum passa tractarint, vel quae alias nobis significanda duxerint, atque exinde iter suum Constantinopolim versus prosequantur. Executuri ibidem ea, quae in instructione ipsis desuper expedita continentur. Facturi in his omnibus etiam bene gratam, expressam voluntatem nostram, gratia et benignitate nostra caesarea recognoscendam. Datum in arce nostra regia Posonii die vigesima tertia Junii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani

quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum *) sacratissimae caesareae majestatis proprium. M. Singkhmoser m. p.

V.

Maximilián megbizó levele Verancsics, Wyss és Teuffenpach számára.

1567. jun. 22. Maximilianus Secundus divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, marchio Moraviae, dux Lucemburgiae, ac superioris et inferioris Silesiae, Würtembergiae, et Teckae, princeps Sueviae, comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, landgravius Alsatiae, marchio sacri Romani imperii, Burgoviae, ac superioris, et inferioris Lusatiae, dominus marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum, etc. etc.

Recognoscimus, et notum facimus tenore praesentium universis : cum pro quiete et tranquillitate universali, et praecavenda in posterum majore universorum oppressione, humanique sanguinis effusione cupiamus cum serenissimo et potentissimo principe, ac domino sulthano Selimo, imperatore Turcarum ac Asiae et Graeciae, pacem inire, bonamque amicitiam contrahere et stabilire; idcirco plena m, indubitatam et singularem fiduciam gerentes de fide, integritate, prudentia, rerumque agendarum dexteritate et experientia reverendi Antonii episcopi Agriensis, ac no-

*) Az eredetiben iráshibából: ‚manus.'

bilium Alberti de Wyss, et Christophori a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariorum et oratorum nostrorum, fidelium nobis dilectorum, eosdem sponte, et ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, omnibusque melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus melius et efficacius potuimus et debuimus, possumus ac debemus, oratores, commissarios, mandatarios, actores, factores, negotiique nostri infrascripti gestores, et nuncios speciales et generales, ita tamen, ut specialitas generalitati non deroget, nec e contra, elegimus, nominavimus, creavimus et deputavimus per praesentes. Dantes et concedentes eisdem, tanquam legitimis et indubitatis oratoribus, commissariis et mandatariis nostris plenam facultatem, authoritatem et potestatem nostro nomine, loco et vice unionem, amicitiam et pacem, vel saltem inducias ad aliquot annos cum praefato serenissimo ac potentissimo Turcarum imperatore, vel illustrissimis ac magnificis passis, aut commissariis suis ad hoc intervenire habentibus, et ab eo eligendis ac deputandis, pro nobis ac serenissimis Ferdinando et Carolo, archiducibus Austriae etc. fratribus nostris charissimis, ac haeredibus et successoribus nostris, omniumque nostrorum regnis, principatibus et dominiis eorumque subditis quibuscunque tractandi, concludendi et firmandi, atque super omnibus ab hujusmodi pace vel induciis dependentibus, emergentibus, annexis vel connexis concordandi et transigendi, juxta conditiones, quas a nobis in mandatis acceperunt, nosque et jam nominatos charissimos fratres nostros superinde erga ipsum serenissimum Turcarum imperatorem, vel praefatos illius passas efficaciter obligandi et obstringendi, ac etiam, si opus fuerit, juramentum de ob-

servandis et adimplendis omnibus iis, quae per eos nostro et eorundem charissimorum fratrum nostrorum nomine juxta articulos, desuper conficiendos, conclusa fuerint, praestandi, et generaliter omnia alia et singula faciendi, tractandi, concludendi et firmandi, quae nosmet facere, tractare, concludere et firmare possemus, si praemissis omnibus et singulis praesentes et personaliter interessemus; etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum. Promittentes insuper, et pollicentes in verbo nostro caesareo, nos una cum iisdem charissimis fratribus nostris perpetuo ratum, gratum, firmum, validumque habituros totum id, et quidquid per supradictos oratores nostros actum, factum, gestum, tractatum, pactum et conclusum fuerit in praemissis, seu quolibet praemissorum, nec contra illud ullo unquam tempore directe vel indirecte facturos aut contraventuros, omni dolo et fraude semotis. Harum testimonio litterarum manus nostrae subscriptione, et sigilli nostri appressione munitarum. Datum in arce nostra Posonii die vigesima tertia mensis Junii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungarici quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. M. Singkhmoser m. p.

VI.

Maximilián utasitása ugyanazok számára.

Maximilianus Secundus, divina favente clemen- 1567. Jun. 28.
tia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Instructio, ad cujus praescriptum reverendus Antonius, episcopus Agriensis, ac nobiles Albertus de Wyss et Christophorus a Teuffenpach in Mairhofen, consiliarii et oratores nostri, fideles nobis dilecti, sese in obeunda infrascripta legatione apud serenissimum principem, dominum sulthanum Selimum, Turcarum ac Asiae et Graeciae etc. imperatorem, ac illustrissimos, spectabiles et magnificos viros, Mehmeth, et reliquos passas, consiliarios illius, accommodare debebunt.

Quamprimum antedicti episcopus Agriensis, et Christophorus a Teuffenpach, confectis apud passam Budensem iis, quae in speciali informatione seu memoriali a nobis in mandatis acceperunt, Buda expediti fuerint, curabunt, ut quantum fieri potest, profectionem suam maturent, et simul atque Constantinopolim pervenerint, hanc instructionem et omnia, quae a nobis in mandatis habent, praenominato Alberto de Wyss, oratori nostro in porta dicti serenissimi imperatoris residenti, communicabunt, et qua ratione res commode incipi et tractari debet, inter se conferent, et deinde medio et opera ipsius Alberti sibi imprimis audientiam dari postulabunt ab illustrissimo ac magnifico Mehmeth passa, supremo Turcarum impera-

toris consiliario, cui, impetrata ea, redditis litteris nostris credentialibus, nomine nostro salutem dicent, ac benigni nostri in eum animi propensionem honorificis ac dignitati nostrae consentaneis verbis declarabunt, paratamque offerent.

Deinde vero exponent ei, nos non solum ex egregio fidele nobis dilecto Georgio Hozzuttotty, nostro in camera Hungarica consiliario, cum superioribus mensibus huc ad nos Constantinopoli rediisset, audivisse, sed pluribus etiam litteris, quas praefatus orator noster Albertus de Wyss per proximos veredarios ad nos dederit, aperte cognovisse sincerum et praeclarum ejus studium, animique promtitudinem in promovenda quiete et utilitate publica, operamque et diligentiam, quam praestat, ut inter nos ac serenissimum imperatorem Turcarum, dominum suum, concordia, pax et bona amicitia stabiliatur; eamque tam praeclaram illius operam et voluntatem nobis, qui simus ac semper fuerimus, ut decet omnes bonos principes, pacis et tranquillitatis publicae amantissimi, singularem voluptatem attulisse, atque etiam eo gratiorem accidisse, quod inde non obscure appareat, ipsum supremum passam animo in nos esse candido, rebusque nostris bene consultum cupere, de hac vero optima ipsius voluntate nos illi benignas gratias agere. Et quoniam juxta promissa nostra, quibus nunquam soliti simus deesse, ad portam istam serenissimi imperatoris Turcarum, domini sui, ipsos oratores nostros ad tractandam ejusmodi pacem et amicitiam, ad quam cum serenitate illius ineundam atque contrahendam nos praeteritis mensibus semel atque iterum paratos fore, recepimus, jam expediverimus, noluisse nos, neque etiam potuisse praetermittere,

quin ei grati ac benigni nostri animi propensionem munusculo aliquo contestaremur, quod ei oratores nostri, vel tunc, vel postea, quando magis opportunum fore judicaverint, offerre debebunt, videlicet quatuor millia ducatorum, et quatuor cuppas argenteas cum horologio, postulando, ut id nostra causa benevole accipere, idque non ex valore, sed benigna donantis mente aestimare velit; neque dubitet, si de caetero quoque hoc pacificationis negotium sincere promovebit, et ad optatum finem perducet ita, ut inter nos et serenissimum ipsius dominum mutua concordia et amicitia firmetur atque stabiliatur, nobis deinceps etiam curae futurum, ut ne uspiam sibi benignam atque propensam voluntatem nostram defuisse sentiat, sed labores ejus beneficentia nostra caesarea liberaliter compensaturos esse.

Itaque oratores nostri illi, vel in eo ipso colloquio, vel postea, quando commodius videbitur, nomine nostro polliceri poterunt atque debebunt, quod pace ista honestis et aequis conditionibus confecta atque firmata, singulis annis, quamdiu pax ista constabit, duo millia ducatorum remunerationis ergo daturi et missuri simus.

Atque his praemissis, oratores nostri postulabunt sibi apud principem Turcarum primo quoque tempore audientiam impetrari, quo possint ea, quae a nobis in mandatis acceperunt, serenitati ejus coram exponere, et quod felix ac faustum sit, huic pacificationi principium dare. Neque abs re fuerit, tunc eidem supremo vesirio summa quoque eorum, quae in prima audientia principi Turcarum dicturi sunt, breviter, ut fert gentis illius consuetudo, exponere. Qui quidem Mehmeth passa cum in prioribus et proximis

litteris suis attigerit nonnulla, quae ad substantiam et conditiones tractandae pacis spectant, utputa de diruendis aliquibus arcibus et castellis, et dimittendis quibusdam sanziackis ac praefectis Turcicis, qui in prôxime praeterito bello capti fuerunt, poterunt oratores nostri, si necesse videbitur, illi de iis etiam benignam mentem nostram patefacere juxta ea, quae inferius, ubi de conditionibus pacis agetur, significabimus.

Deducti vero in praesentiam serenissimi imperatoris Turcarum, serenitati ejus litteras nostras credentiales juxta morem, et consuetudinem illius aulae reverenter offerent, et verbis salutem, prosperamque valetudinem ac omnem felicitatem precabuntur, adjecta condecenti testificatione integritatis et sincerae nostrae in serenitatem ejus benevolentiae.

Atque exinde serenitati ejus ulterius referent, quamvis oratori nostro in porta serenitatis ejus residenti, Alberto de Wyss antehac per litteras injunxerimus, ut serenitati ejus nomine nostro officiose congratularetur de serenitatis ejus ad amplissimum imperii Turcici fastigium felici successione: quia tamen ille id officii coram praestare non potuit, noluisse nos omittere, quin ad testandam integritatem nostram, id nunc ipsis etiam oratoribus nostris simul una apud serenitatem ejus exequendum demandaremus. Itaque serenitati ejus persuasissimum esse debere, quod nobis valde jucundum acciderit, serenitatem ejus, posteaquam divina voluntate, cui quovis loco et tempore sit acquiescendum, serenissimus et potentissimus quondam imperator sulthanus Solymannus ex humanis sublatus est, serenitatem illius, uti filium ac haeredem tanto cum applausu, studio et consensu

exercituum et populorum suorum tranquille, pacifice et quiete in paterno imperio successisse, ideoque nos serenitati ejus de hoc tam pacifico et auspicato ad culmen paterni solii ingressu iterum atque iterum amanter gratulari, maximopereque optare, ut aeternus Deus serenitati ejus hoc gubernium in futurum etiam quietum atque pacatum, diuturnumque esse velit.

Deinde oratores nostri ulterius etiam progrediantur, ac serenissimo imperatori Turcarum succincte quidem, sed tamen dilucide referant, nos non dubitare, quin serenitas ejus jam dudum certior facta fuerit de sincero nostro studio, et propensa ad tuendam et conservandam quietem et tranquillitatem publicam voluntate, et quam candide, genuineque nos obtulerimus statim post obitum serenissimi et potentissimi quondam imperatoris Ferdinandi augustae memoriae, domini ac genitoris nostri observandissimi, ad continuandam cum praenominato serenissimo quondam imperatore sulthano Solymanno pacem et amicitiam paternam usque ad finem constituti octennii, sub iis conditionibus, quibus cum divo domino patre nostro inita fuerat, siquidem ejusmodi sincerum et optimum animum nostrum non verbis duntaxat declaraverimus, sed re ipsa quoque comprobaverimus, transmissis videlicet ad portam serenitatis ejus muneribus honorariis, quae dictus dominus genitor noster mittere decreverat, non obstantibus etiam bellorum motibus, per Transsylvanum tunc temporis temere et absque legitima causa excitatis, neque etiam attento, quod tunc etiam praefectus Themesiensis sese cum copiis imperatoris Turcarum ipsi Transsylvano in invadenda et opprimenda ditione nostra, adjutorem praebuerit, atque in tota illa expeditione anni millesimi quin-

gentesimi sexagesimi quarti, ac sequenti millesimo quingentesimo*)quinto cum exercitu praesens exstiterit.

Et quamvis postea nos quoque necessitate compulsi arma ceperimus, pro tuenda non modo ditione, sed maxime etiam existimatione et dignitate nostra, quam utique non potuimus, neque debuimus negligere, non exspectato responso serenissimi quondam imperatoris sulthani Solymanni, quod diutius certe, quam sperabamus, differebatur, in eo tamen bello ne palmum quidem terrae, quae ad serenitatem ejus immediate spectat, tangi, nedum infestari passi simus. Atque adeo licitam duntaxat omni divino, humanoque jure defensionem susceperimus, et vim vi repulerimus, atque pro nostra parte nemini ullius inimicitiae et hostilitatis causam praebuerimus.

Cum vero idem Transsylvanus paulo post, mismis Zathmarium commissariis, oratoribus ac nunciis pleno ad agendum et concludendum mandato instrutis, simulate et fraudulenter a supremis nostris praefectis et capitaneis pacem petiisset, et oblatas sibi conditiones acceptasset, atque etiam sub colore et praetextu obtinendae a nobis ratificationis oratorem ad nos misisset: ne tunc quidem voluisse nos quietem publicam emolumentis nostris privatis anteponere, sed paratos fuisse, tractatus illos Zathmarienses cum dictis commissariis, oratoribus ac nunciis Transsylvanicis virtute memorati pleni ipsorum mandati initos ac firmatos, ratos, gratosque habere, existimantes, nobis id omnino esse integrum, vigore conditionum pacis paternae, ad quarum observationem et nos et serenissimus quondam imperator sulthanus Solymannus per litteras nos hinc inde astrinxeramus, postpo-

*) Kimaradt : sexagesimo.

sita etiam pulcherrima occasione, quae tum nobis oblata fuerat, injurias a dicto Transsylvano acceptas ulciscendi, illumque magna ditionis suae parte mulctandi.

Cum autem exinde turbatis per eundem Transsylvanum tractatibus pacis, serenissimus imperator Turcarum sulthanus Solymannus, flagrante adhuc bello nobis scripsisset et nunciasset, sese cupere, quod utrinque ab armis discederetur, et exercitus revocarentur, de componendis vero controversiis exortis in porta serenitatis suae tractaretur, nos ea quoque in re serenitati ejus benevole gratificatos esse. Verum ex altera parte nobis nequaquam fuisse responsum. Siquidem non modo Transsylvanus neglectis et contemtis mandatis ipsius serenissimi Turcarum imperatoris, nec ulla ratione habita, quod exercitus noster de mandato nostro recedendi initium fecerat; atque se a Zathmario ad ripam Tibisci receperat, conjunctis sibi sanziacko Zolnocense et copiis ejus, quaedam loca et arces nostras, ultra Tibiscum sitas, infesto marte oppugnaverit, et partim etiam ceperit; sed beglerbegus etiam Themesiensis, qui tum erat in officio, facto prius impetu in nocturnas excubias praesidii nostri Zathmariensis, non dubitaverit etiam post allata domini sui mandata, illi per chiaussium Budensem, praesente homine nostro ad id destinato, praesentata de armis ponendis, exercitum nostrum usque ad Tibisci ripam hostiliter persequi, et ad castra usque procurrere, captans occasionem, eidem exercitui nostro cladem aliquam infligendi, vel eum prorsus opprimendi, abitumque frivolis quibusdam, et ad ipsum minime spectantibus postulatis in plures dies ex in-

dustria protrahere, unde nec prius discesserit, quam cognoverit, se nostris nihil posse nocere.

Non obstantibus vero omnibus hisce, et aliis quoque gravissimis injuriis, nos haud ita multo post expedivisse ad excelsam istam portam supradictum oratorem nostrum Georgium Hozzuttotty, cum honestissimo et aequissimo responso, nihilque praetermisisse, quod ad redintegrandam et aequis conditionibus constituendam pacem pertinere existimavimus, verum quemadmodum antea semper calumniis et notoriis figmentis Transsylvani fides fuerat habita, nostris autem verissimis informationibus, optimisque juribus et rationibus nec certa fides data, nec locus aliquis relictus: ita etiam tunc prorsus nos in vanum laborasse, eaque legatione nihil plane profecisse, sed mox sequutam esse expeditionem istam aestatis praeteritae.

Et quo magis etiam perspiciat serenissimus imperator Turcarum, quomodo soliti sint abuti saepedictus Johannes Sigismundus dux, atque etiam nonnulli ejusdem principis Turcarum praefecti limitanei, tum nostra aequanimitate, pacisque studio, tum ipsiusmet imperatoris Turcarum nimia indulgentia, non abs re fuerit serenitati ejus id quoque significari: quum proxime praeteritis mensibus, priusquam scilicet certo constaret de animo et inclinatione serenissimi principis Turcarum] ad pacem et amicitiam nobiscum ineundam, supremus exercituum nostrorum in superioribus regni nostri Hungariae partibus capitaneus Lazarus de Schwendy, redacta in nostram potestatem arce Georgii Bebeck rebellis et perfidi subditi nostri, Zardwar vocata, arcem Mwnckatz etiam antiquo et optimo jure nobis pertinentem oppugnasset,

ne solitis Transsylvani artibus, qui, ut nobis omnem rei bene gerendae occasionem, injiciendo subinde spem concordiae et transactionis redintegrandae, fraudulenter eriperet, uti etiam praeterita hieme fecerat, diutius circumduceremur, nostraque commoda prorsus negligeremus; eademque opera Deo propitio intra paucos dies potuisset etiam expugnare arcem Hwzth: nos tamen cognito animo ac desiderio serenissimi imperatoris Turcarum de armis utrinque deponendis, quoad in porta serenitatis ejus de certa, firmaque pace transigatur, praefatum supremum capitaneum Lazarum de Schwendy ab instituta oppugnatione arcis Hwzth illico revocasse, et Cassoviam reverti jussisse, induciasque passim per omnia confinia capitaneis, praefectis, militibus et subditis nostris firmissime demandasse (prout ejusmodi mandata jam iterum renovavimus). Sed dum nos paci studemus, militesque et capitanei nostri mandatis nostris obtemperant, et ab hostilitate abstinent, praeter omnem exspectationem nostram ex una parte passam Themesiensem, coadunato magno exercitu, sub praetextu et colore defendendi dictum Johannem Sigismundum ducem, qui tunc nullo prorsus auxilio indigebat, cum nemo eum amplius oppugnaret propter inducias promulgatas, arces quasdam nostras, et fidelium subditorum nostrorum in superioribus regni nostri Hungariae partibus ex improviso intercepisse, ex altera vero dictum Johannem Sigismundum ducem ultra Tibiscum arces Kewar et Banyam occupare non esse reveritum, quantumvis jam fuisset etiam admonitus de voluntate ipsius Turcarum principis. Quae quidem collusio eorundem Transsylvani et passae Themesiensis ex interceptis litteris, quas antehac Con-

stantinopolim ad manus oratoris nostri misimus, satis manifeste liquet.

Verum tamen utcunque ea se habeant, quae superstite serenissimo quondam sulthano Solymanno acciderunt, cum illa jam dudum praeterierint, nunc vero imperio Turcico praesit serenissimus sulthanus Selymus, cum quo nobis hucusque privatim nihil rei, nec ulla hostilitas fuit, ejusque serenitas sese promptam, paratamque obtulerit ad ineundam et contrahendam nobiscum amicitiam et pacem, quatenus ejus rei causa oratores nostros ad portam serenitatis ejus ablegaturi essemus : nos non obstantibus etiam vel antiquis, vel etiam recentioribus, et maxime jam enumeratis injuriis, sub ista armorum suspensione, tam a Transsylvano, quam passa Themesieuse acceptis, confisos serenitatem ejus, ne talia deinceps fiant, benevole curaturam, voluisse omnino promissis nostris satisfacere, ipsosque oratores nostros ad serenitatem ejus absque longiore dilatione expedire, qui cum serenitate ejus agant, tractent, et Deo volente transigant et conveniant de certa et firma pace, concordia atque amicitia inter nos ac serenissimos principes Ferdinandum et Carolum, archiduces Austriae etc. fratres nostros charissimos, ipsumque serenissimum Turcarum imperatorem, et utriusque partis posteros, haeredes et successores ad tempus praestituendum, sub honestis et aequis conditionibus, de quibus ipsi oratores parati sint cum supremo serenitatis ejus consiliario Mehmeth passa, vel cuicunque serenitas illius id negotii dederit, colloqui et tractare.

Necessarium autem fore, oratores nostri dicant, quod interea temporis induciae firmae et inviolatae maneant, atque a serenitatis ejus passis, sanziackis,

begis, praefectis et militibus sanctissime observentur, nulloque prorsus colore, seu praetextu quaesito violentur, usque dum hisce tractatibus finis imponatur, et oratores nostri in ditionem nostram reversi fuerint. Qui vero deliquisse comperientur, graviter et serio puniantur, quandoquidem nullus futurus sit finis aut modus excursionum, injuriarum, depraedationum, caedium, et omne genus malorum, nisi turbulentorum et inquietorum audacia et temeritas severissime coerceatur. Idem nos quoque vicissim diligentissime curaturos esse.

Exinde dicant oratores nostri, quod ad contestandam serenitati ejus sinceram voluntatem nostram, qua affecti sumus in hoc pacis negotio, et declarandam laetitiam, quam ex serenitatis ejus felici et tam pacata ad paternum imperium successione cepimus, atque adeo benevolae congratulationis ergo, et pro bono, auspicatoque futurae amicitiae nostrae initio voluerimus etiam serenitatem ejus condigno munere honorare. Quae amicitia, posteaquam Deo dante corroborata fuerit, nos imposterum etiam serenitati ejus mutuis benevolentiae atque integritatis officiis nusquam esse defuturos. Itaque tunc oratores nostri serenitati ejus munus illud triginta millium ducatorum una cum viginti inauratis scyphis seu cuppis duplicatis, ac duobus vel tribus horologiis, ut moris est in illa aula, reverenter exhibere debebunt.

Et haec fortassis sufficient in primo congressu apud principem Turcarum peregisse. Si vero videretur opus esse, gravamina ista, et quae statim a morte divi quondam domini parentis nostri, imperatoris Ferdinandi, augustae memoriae, cum defuncto quondam sulthano Solimanno et dicto Transsylvano ultra

citraque acta et gesta sunt, paulo latius, vel tunc in prima scilicet audientia, sive postea, vel apud principem ipsummet, vel apud passas et consiliarios ejus deducere, quemadmodum omnino necessarium esse arbitramur, ut oratores nostri viam et rationem aliquam inveniant, per quam Turcarum imperator ipsemet de iis omnibus accuratissime edoceatur, siquidem etiam parens ejus sulthanus Solymannus his plerumque celatus fuit: oratores nostri copiosam habebunt materiam in iis informationibus, quae huic instructioni adjungi jussimus, et antea quoque Constantinopolim misimus, unde eis, quae ad asserendam et comprobandam causae nostrae aequitatem atque justitiam, ac e diverso ad patefaciendas, refellendasque calumnias Transsylvani, et aliorum adversariorum, malevolorumque nostrorum accommodata videbuntur, vel necessitate postulante, vel rerum nostrarum utilitate suadente, depromenda.

Porro absoluta audientia prima apud Turcarum imperatorem, vel etiam antea, si tempus aut loci consuetudo tulerit, oratores nostri debebunt quoque sigillatim adire reliquos passas vesirios omnes, et redditis cuique litteris nostris credentialibus, ac convenienti salutatione, et benigni atque propensi animi nostri significatione praemissa, et exhibito denique in signum favoris et gratitudinis nostrae munere cuilibet deputato, nempe Pertavo passae duo millia ducatorum cum duabus cuppis duplicatis deauratis, atque uno horologio; pro Ferrath passa mille ducatos cum duobus scyphys duplicatis; et pro reliquis tribus in singulos millium talerorum, eosdem verbis nostris magnopere hortari, ex quo ad hosce pacis tractatus, cum serenissimo imperatore Turcarum suscipiendos, inducti fuerimus, singulari quodàm instinctu benevo-

lentiae, qua erga serenitatem ejus afficimur, et publicae tranquillitatis studio, nec non commiseratione afflictae et oppressae gentis Hungaricae, et praecipue miserrimae plebeculae, quam non sine maximo animi nostri dolore cernimus his bellorum fluctibus prorsus obrui et funditus perire, cum ingenti vastitate amplissimi regni, quod desolatum nec nobis, nec serenissimo Turcarum principi ullam amplius utilitatem adferre poterit; ut proinde ipsi quoque in juvando et promovendo tam pio et laudabili nostro proposito, quod et serenissimo ipsorum principi honori, et utriusque nostrum populis salutare futurum sit, operam et partes suas interponere, omnemque diligentiam adhibere velint. Eam enim illorum tam egregiam operam nos deinceps etiam munificentia nostra caesarea recognituros esse, et confecta honesta et aequa pace, missuros illis annuatim, quamdiu pax ipsa, et amicitia firma et illaesa perstiterit, condigna munera, nempe Pertavo passae mille ducatos annuos, et caeteris passis vesiriis, cuilibet mille taleros; nisi fortassis oratoribus nostris videretur consultum, passas omnes tam supremum, quam inferiores aliquanto majoris etiam summae, quam ea, quam nominavimus, promissione inescandos esse, quod eorundem oratorum nostrorum fidei atque prudentiae committimus.

Et quoniam Ebrahimus, supremus principis Turcarum interpres dicitur plurimum pollere gratia tam apud ipsummet principem, quam supremum ejus consiliarium Mehmeth passam, et is hucusque magnum ad promovendas res nostras studium semper praesetulerit, atque haud dubie possit etiam nobis in hoc pacis negotio bonam operam navare: operae pretium duximus, illum quoque non solum bonis verbis, ac

propensi et benigni nostri in eum ánimi significatione (quae cura ipsorum oratorum nostrorum erit, ut scilicet illum de gratiosa voluntate nostra edoceant) sed largitione quoque in isto egregio erga nos studio confirmare. Itaque oratores nostri illi dabunt nomine nostro quingentos ducatos, pollicendo, si in hoc suo laudabili instituto deinceps perstiterit, et negotia nostra in posterum quoque candide et diligenter juverit, ipsi vicissim gratitudinem et beneficentiam nostram minime defuturam, sed accepturum quotannis, constante pace, munus quingentorum coronatorum.

Est et alius interpres in porta principis Turcarum, Germanus natione, nomine Mahmut Beg, supremo principis Turcarum consiliario Mehmeth passae, sicut intelleximus, satis gratus et acceptus, qui et ipse sese rerum nostrarum studiosum ostendit, cujus voluntatem et operam oratores nostri similiter collaudabunt, et nomine nostro pro remuneratione laboris. quem sustinuit hisce mensibus, quibus in porta principis Turcarum de pacis istius negotio ceptum est tractari, trecentos ducatos nomine nostro praesentabunt.

Praeterea, cum dicantur esse nonnulli praecipui officiarii principis Turcarum, et qui serenitati ejus inprimis sint grati, nobisque in hoc negotio queant magno esse usui, oratoribus nostris, pro ipsorum singulari industria enitendum erit, ut et illi *), si non dabitur facultas agendi cum illis coram, saltem per idoneas personas in partes nostras pertrahantur, et ad promovendam hanc pacem tum spe largitionis, tum aliis quoque appositis rationibus inducantur, dato cuique ad praesens in signum grati animi munere, conditioni et qualitati personae congruo, ex illis duobus

*) Tolhibából : „illos“ az eredetiben.

millibus talerorum, qui ad id deputati sunt. Inter quos officiarios potissimum quaerendum est de Johanne Migues *), qui nunc Naxi ducatum obtinet; cum enim eum apud imperatorem Turcarum etiam antehac gratia plurimum valuisse intellexerimus, confidimus rebus nostris multum posse commodare, et propterea nobis ejusdem quoque, et aliorum, qui videbuntur per serenitatem illius esse prae caeteris in pretio, studia omnino conciliari volumus.

Posteaquam autem ad tractationem principalem devenietur, et de conditionibus hinc inde pro stabilitate et certitudine pacis firmandis et constituendis, sive scripto, sive etiam viva voce agi oportebit, oratoribus nostris advertendum erit, ut inprimis statuatur, quod ex hoc tempore in futurum ad id usque tempus, de quo utrinque convenerit, debeat esse, servari, et coli inter nos et supradictos serenissimos et charissimos fratres nostros Ferdinandum et Carolum archiduces Austriae ex una, ipsumque serenissimum et potentissimum sulthanum Selymum Turcarum imperatorem ex altera, et utriusque partis haeredes, successores, ac ambarum etiam partium regna, principatus, dominia, civitates, urbes, terras, loca, sive terrestria sive maritima, subditos ac milites mutua, bona, vera et firma pax et amicitia, ad cujus observatione m teneantur et adstringantur severissimis mandatis, et sub poena capitis, omnes et singuli ipsius serenissimi imperatoris Turcarum passae, beblerbegi, sanziacki, begi, vaivodae, et quilibet capitanei, officiales, ministri, milites et subditi cujuscunque gradus et ordinis exstiterint, vel quocunque nomine vocentur, ubicunque locorum et gen-

*) Jelen utasitás egykoru másolatában e helyhez Verancsics ezt irta a lap szélére : ‚nunc don Joseph appellatus.‘

tium, et maxime in Hungaria, Dalmatia, Croatia, Sclavonia, Bosnia et Transsylvania existentes, et nominatim etiam dux Johannes Sigismundus, serenissimi quondam regis Johannis filius, et Moldaviensis et Transalpinensis vaivodae, pro tempore existentes, et ipse quoque Tartarorum princeps cum universa gente et militia sua, qui posthac nullo colore, ingenio vel praetextu quaesito audeant, nostris ac praenominatorum charissimorum fratrum nostrorum regnis, provinciis, eorundemque finibus, limitibus et quibuslibet locis terrestribus vel aquaticis quocunque modo, terra, marive, arma, vim, vel hostilitatem aliquam inferre, vel nostros, dictorumque serenissimorum fratrum nostrorum duces, capitaneos, praefectos, milites, subditos ad arma lacessere, sed cum illis sincerampacem et bonam vicinitatem servent, ac sancte colant, delinquentes autem, serio, graviterque puniantur; quemadmodum vice versa nos quoque et antedicti charissimi fratres nostri, parati erimus universis ac singulis nostris capitaneis, praefectis, officialibus, ministris, militibus ac subditis limitaneis serio et sub poena capitis mandare, ut hanc pacem sancte, firmiter et inviolate observent, et ne passis, beglerbegis, sanziackis. et quibuscunque demum praefectis, militibus ac subditis, ditionibusque in Hungaria, Dalmatia, Croatia, Sclavonia, Bosnia, item Transsylvania, Moldavia et Transalpina arma, vim, vel ullam hostilitatem inferant, nec eosdem ad arma lacessant, sed cum illis pacem et bonam vicinitatem sancte colant; et in eos, qui deliquerint, serio ac graviter quoque animadvertemus.

De tempore hujus pacis oratores nostri agere et laborare debent, ut pax ista concludatur et firme-

tur in octo annos continue sequentes a die, qua solenniter fuerit conclusa et stabilita. Et casu, quo Turcarum princeps tot annos nollet admittere, ipsi oratores e diverso connitentur, ut plures quam fieri poterit, annos obtineant. Sin autem Turcarum princeps cuperet ipsam pacem longius etiam extendi, utputa in decem annos, vel plures etiam, poterunt et debebunt oratores nostri ea etiam in parte voluntati illius acquiescere.

Et casu, quo nollet Turcarum imperator pacem ad haeredes et successores transmitti, sed tantum ad vitam alterutrius extendi postularet, in eo quoque oratores nostri serenitati illius morem gerant.

Deinde expresse quoque paciscendum et constituendum est, ut quaecunque nos et antedicti fratres nostri tenemus ac possidemus in Hungaria ultra citraque Danubium et Tibiscum, item in Dalmatia, Croatia et Sclavonia, caeterisque regnis, provinciis et dominiis, ea in futurum quoque cum universis suis pertinentiis, castris, oppidis, reditibus, proventibus, censibus, decimis, servitiis, quibuscunque bonis mobilibus et immobilibus, quamdiu haec pax duraverit, in potestate nostra libere, pacifice et absque ulla principis Turcarum aut officialium, ministrorum et militum ejus contradictione, molestatione, vel impedimento maneant, nec ullo modo jura nostra, quae habemus una cum nominatis fratribus charissimis, subditisque nostris in jam dictis regnis atque provinciis nostris impediantur, neque etiam licitum sit Turcarum principis praefectis, officialibus, militibus ac subditis cujuscunque gradus, status, ordinis et conditionis extiterint, nos et charissimos fratres, subditosque nostros in eorum perceptione, possessione ac fructu

turbare, molestare, seu impedire, ullumque jus exactionis, vel alterius oneris in eisdem quaerere seu praetendere, multo vero minus villas, pagos et possessiones nostras et fratrum ac fidelium subditorum nostrorum, seu ipsosmet fideles subditos nostros, fratrumque nostrorum per vim vel sinistras artes et machinationes in suam potestatem et ditionem redigere, occupare, seu comminatione mortis, incendii, depraeditionis, sive capitivitatis ad deditionem sollicitare.

Quia vero Mehmeth passa in litteris suis, quas hucusque ad nos dedit, semel atque iterum mentionem fecit de diruendis arcibus nonnullis, inter quas nominavit Vesprimium et Tatham, et de eo cum oratore nostro Alberto de Wyss coram latius etiam colloquutus est, quod responsum nos ad tractationem principalem rejecimus, et veremur, ne istiusmodi demolitionem denuo urgeat: volumus proinde oratores nostros pro sua duntaxat informatione clementer esse admonitos, quod ad destruendum et demoliendum ullum locum, quem in nostra nunc potestate habemus, nedum restituendum, non admodum sumus inclinati, et cuperemus, quoad ejus unquam fieri posset, ea nos molestia prorsus sublevari, nisi vicissim ex parte Turcarum alia loca, quae non sint inferioris momenti, destruantur, atque sic utriusque nostrum aequalis sit conditio; Vesprimium enim eo loco situm est, ut sine insigni jactura et periculo ditionis adjacentis desolari minime queat; id quod praeteritorum annorum experientia satis compertum habemus.

De Tatha vero, et aliis nonnullis leviusculis arcibus fortassis non ita acriter essemus reclamaturi, si vicissim etiam ex imperatoris Turcarum parte similia loca, a nobis nominanda, diruerentur, et propterea,

si quando disputatio orietur de arcibus et locis hinc inde in gratiam alterius partis demoliendis, diligenter certe inculcanda erit serenissimo Turcarum principi, ac supremo et caeteris ejus passis vesiriis aequabilitas, quam servari decet inter eos, qui sinceram amicitiam inter se contrahere et servare cogitant. Siquidem nequaquam convenit, ut amicus amicum conditionum inaequilitate praegravare conetur, quin immo si Turcarum princeps in eo persistat, ut ex nostra parte arces aut loca aliqua destruantur, necesse fore, quod serenitas ejus similiter sese erga nos declaret, quae loca serenitas ejus vice versa diruere velit. Et hoc loco oratores nostri dextre captabunt occasionem, pertentandi animos passarum, num spes aliqua sit, quod Turcae induci possint ad destruendas arces Babolcham et Persentz, *) et alias quae in illo districtu sitae sunt? Verum tamen non debebunt oratores nostri in hoc puncto certi quicquam nomine nostro concludere vel polliceri, sed ubi animum principis Turcarum penitus perspexerint, rem omnem cum opinione et sententia sua integram ad nos per litteras referre, nostramque desuper resolutionem exspectare.

Causam quam praetendit Mehmeth passa hujusmodi petitionis suae, quod scilicet haydones et praedones in his locis receptum habere, et inde ditionem Turcicam infestare soleant, oratores nostri facile diluent, ostendendo quod in hac parte non difficile erit providere, si quis justam de praesidiariis illorum locorum conquerendi causam habere possit, siquidem nobis non defuturae sint rationes, quibus illi in officio contineantur, dummodo ex altera parte ad arma non provocentur.

*) ‚Értsd: Berzencze.'

Advertendum autem est oratoribus nostris, nos hoc loco non eam Babolcham duntaxat intelligere, quae antehac in manibus nostris fuit, et noviter est per Turcas occupata, sed novam etiam illam munitionem, quam Turcae aedificant in alio loco, uti nobis relatum est, pro Babolcha, quam diruere cogitant; ne fortassis per aequivocationem prioris atque posterioris arcis aliquid in praejudicium jurium nostrorum concedatur.

Et quamvis optimo jure possemus a serenissimo Turcarum imperatore repetere Zigettum et Giulam, quandoquidem ejus parens, nulla prorsus injuria affectus, non attenta integritate nostra, qua nos, ut dictum est, mox ab obitu divi quondam genitoris nostri ad observationem paternae pacis iisdem sub conditionibus tam amanter obtulimus, neque etiam ratione habita, quod jam alter alteri ultro citroque misisset pro stabilitate ejusmodi pacis litteras confirmatorias, gravissimam praeteritae aestatis expeditionem contra nos suscepit; nolumus tamen ad praesens ejusmodi restitutionem, uti nimis odiosam, expressis verbis urgeri. Atque idcirco non est, quod oratores nostri apud Turcarum principem de Zigetto vel Giula nobis restituenda ultro, et nominatim quicquam agant vel proponant; verum tamen, ne prorsus etiam silentio involvatur duorum istorum locorum jactura, non abs re fuerit, oratores nostros (id quod ipsis injunctum esse volumus) inter tractandum pro sua dexteritate occasionem quaerere, tanquam ex seipsis injiciendi apud passas mentionem aliquam de diruendis antedictis duobus locis Zigetto et Giula, utputa, vel passis denuo instantibus pro demolitione Vesprimii et Tathae, vel quando agetur de diminuendo munere honorario,

quotannis pendendo, vel quandocunque aliqua sese in tractatibus et eolloquiis commoditas obtulerit. Quam rem, si passae plane explodere, vel surdis auribus praeterire videbuntur, oratores nostri advertere debent, ut si eis offeretur occasio aliqua, saltem alia loca, utputa Babolcham, et quae sunt in illa regione sita, repetendi, ne eam quoque praetermittant.

Non dubitamus etiam, quin serenissimi Turcarum imperatoris consiliarii statim in principio tractationis injecturi mentionem sint muneris honorarii, in posterum pace constante, annuatim praestandi. In eo casu oratores nostri, qui suapte sponte non debent mentionem ejus injicere, interrogati respondebunt, quamvis justissimas causas haberemus recusandi: quod hoc loco petatur, nos tamen amicitiae et bonae vicinitatis causa, et pro salute atque incolumitate miserrimorum afflicti regni Hungariae subditorum hac quoque in parte desiderio serenissimi imperatoris Turcarum non esse defuturos. Verum enimvero aequum esse, quod serenissimus Turcarum princeps benevole perpendat, ad quantam pauperiem redactum sit afflictum Hungariae regnum propter bellicam expeditionem praeteritae aestatis, in qua Ziget et Giula cum magna reliquiarum ejus regni parte distracta fuerint, ac minore summa, quam dominus ejus parens accipere consueverit, contentetur. Itaque hujusmodi occasione captata, oratoribus nostris elaborandum erit, ut munus honorarium ad minorem summam, utputa, viginti millium ducatorum reducatur, neque facile se a proposito dimoveri patiantur. Ad extremum tandem, ubi senserint Turcarum principem triginta millibus omnino inhaerere, ipsi quoque gradatim procedendo, ad ultimum, si ali-

ter fieri nequiverit, promittant, quod nos etiam, sicuti divus parens noster, deinceps annuatim, et sub finem cujusque anni post conclusionem pacis solitum honorarium munus triginta millium ducatorum ad portam serenitatis ejus missuri simus.

Si autem obtineri posset vel restitutio vel demolitio Zigetti et Julae, tunc non opus foret agere de diminutione honorarii muneris, sed posset id integre, prout a divo domino parente nostro datum fuit, offerri et promitti. Quando vero major summa peteretur, quam triginta millium ducatorum, vel quod illud etiam de caeteris nostris, ac charissimorum fratrum nostrorum provinciis peteretur, oratores nostri in id nullo modo consentiant.

Caeterum nihil est, quod magis ferme requiratur ad firmitatem pacis, Deo volente, concludendae, quam, ut diligentissime provideatur, ne deinceps integrum sit serenissimi quondam regis Johannis filio novas discordias serere, turbasque pro libitu concitare. Quare hac etiam in parte oratoribus nostris sedulo atque diligenter elaborandum erit, et sive ex parte Turcarum ea de re mentio aliqua injiciatur, sive non, ineunda utique erit et invenienda certa et firma aliqua ratio, qua illius, et consiliariorum, quos penes se habet, inquieti animi compescantur. Id quod nostra sententia tum fieri poterit, cum ille intellexerit, calumniis suis ulterius in porta principis Turcarum non datum iri locum, nihilque sibi a Turcarum principe exspectandum fore subsidii, si quando aequitatis terminos excesserit, et intra fines suos, qui omnino videntur esse circumscribendi, sese non continuerit. Eaque propter, si oratores nostri senserint, non esse consultum, quod nunc iterum postulemus,

illum astringi ad observationem illorum pactorum, ad quae anno sexagesimo quinto in mense Martio nuncii et commissarii illius, pleno ad id mandato instructi, ipsum obligaverant, et pro quorum ratificatione et approbatione ille oratorem suum Stephanum Bathory de Somlyo, etiamnum hic existentem, tunc temporis ad nos expediverat, (quarum pactionum et conventionum, quatenus ostendi possunt, oratores nostri cum praesenti instructione nostra copiam habebunt) et frustra etiam Kewar arcem, ab illo novissime occupatam, repeti cognoverint, saltem non debebunt consentire in restitutionem alicujus loci, ad praesens in potestate nostra existentis, si forte princeps Turcarum vellet illi vel Baniam, vel alium ex iis locis, quos ipsi possidemus, restitui, sed constanter insistant retinendae possessioni tam Baniae, quam aliorum locorum ultra citraque Tibiscum in potestate nostra existentium; nisi forte id fieret per permutationem aliquam arcium et locorum, in utriusque potestate ultra citraque Tibiscum existentium, praesertim Baniae seu Rivuli Dominarum cum arce Hwzth, a qua permutatione, si aequis conditionibus posset obtineri, fortassis non futuri essemus alieni; de qua tamen permutatione oratores nostri certi nihil concludant, nisi re tota prius ad nos relata, nostraque resolutione accepta. Alias tutissimum erit oratores nostros, *) quod ipsis etiam virtute praesentis instructionis clementer injunctum esse volumus, quod illum in hac pace comprehendi curent eo, qui sequitur, modo, quo et antea fuit comprehensus. Videlicet quod nos, quamdiu pax ista, cum Turcarum principe inenda, firma, et valida permanserit, (cui utique nos

*) Itt a tollban maradhatott valami.

violandae nullam causam, vel materiam praebebimus) ab invadenda Transsylvania et arcibus, castellis, urbibus ac locis, ad eam directe spectantibus, et ad praesens in potestate quondam regis Johannis filii existentibus, manus abstinebimus, nullam vim aut hostilitatem contra ea suscipiemus.

De locis vero extra Transsylvaniam positis integrum nobis sit, cum eodem quondam regis Johannis filio transigere et concludere, quae loca ipse nobis restituere, et nos ipsi pacifice relinquere velimus et debeamus, dummodo, durante hac pace, ad satisfaciendum nobis de locis extra Transsylvaniae fines in Hungariae partibus ultra citraque Tibiscum sitis, armata manu non compellatur.

Hoc autem loco accurate distinguantur et specificentur, qui sint fines Transsylvaniae, et quod loca illa trans Tibiscum sita, quae Turcae omnia intelligunt et comprehendunt sub nomine Transsylvaniae, pertineant ad Hungariam, non ad Transsylvaniam, ne per hanc nimis generalem, Turcisque usitatam Transsylvaniae nuncupationem juribus nostris aliquid praejudicii inferatur.

Item, ut vice versa idem quondam serenissimi regis Johannis filius tempore hujus pacis sive induciarum ab omni hostilitate et injuria abstineat, ac subditos nostros non affligat, villas non diripiat, nec excursiones in ditionem nostram faciat, neque castella nostra, vel subditorum nostrorum oppugnet, vel ipsa nova castella in detrimentum ditionis nostrae vel subditorum nostrorum exstruat, neque etiam bona mobilia vel immobilia, contributiones, dicas, decimas et proventus ad nos et subditos nostros spectantes, invadat aut sibi vendicet, quin immo pacem sancte

et inviolate observet, et per suos observari faciat, quemadmodum etiam nos diligenter curaturi sumus. Quodsi secus ille fecerit et inducias violaverit, ac nos et subditos nostros injuria affecerit, et nos ejusmodi injuriam vindicandam duxerimus, Turcarum imperator illum non suscipiat protegendum vel juvandum, sed omni prorsus auxilio destituat, neque etiam a passis, sanziackis, praefectis ac militibus suis juvari permittat.

Item, u quaecunque nos extra propriam Transsylvaniam ultra citraque Tibiscum possidemus, sive per nos ipsos, sive per nostros subditos et vasallos, in posterum quoque sine ulla controversia possideamus, in quibus comprehensi etiam intelligantur magnifici fideles nostri dilecti Melchior Balassa et Nicolaus de Bathor, caeterique barones, nobiles et cujuscunque status homines, qui ad fidelitatem et obedientiam nostram reversi fuerant et revertentur usque ad illam diem, qua nobis constiterit, saepe dictum quondam regis Johannis filium pacem ad mandatum serenissimi imperatoris Turcarum sub his conditionibus acceptasse et observare velle, cum omnibus eorum rebus, juribus ac bonis, quaecunque possident et tenent.

Praeterea tam nostri quam praedicti filii quondam regis Johannis subditi in utriusque nostra obedientia et potestate constituti, qui in praesentibus turbis et motibus, vel ob metum, vel aliam quamcunque causam vacillassent, sive suspectos se reddidissent, seu alterutrum quovis modo offendissent, hisce induciis comprehensi, earum ita participes reddantur, ut nulla in eos, quovis quaesito colore, vindicta instituatur, sed omnis in illos concepta indignatio et persecutio utrinque cessare debeat.

Quo quidem loco cum passae procul dubio varias difficultates injecturi sint, allegando, ut solent, Transsylvanum mancipium esse Turcicum, nec potestatem habere de alieno dominio quicquam disponendi: oratores nostri res omnes pro sua prudentia et rerum istarum omnium experientia, facile confutabunt, et quemadmodum supra monuimus, in eo omni conatu incumbent, ut in futurum Transsylvano omnem fidem abrogent, atque perficiant, ne frivolis et continuis illius querelis, figmentis atque calumniis tam faciles aures praebeantur, sed si quando querulabitur, et clamitabit, sibi factam esse injuriam seu violentiam aliquam contra pacta et conditiones pacis, Deo dante, ineundae, ne quid desuper praepropere decernatur, sed prius ad nos quoque res omnis referatur, nostrumque responsum exspectetur, quod utique paucarum hebdomadarum spatio haberi queat.

Quodsi rursus peteretur restitui ad possessionem bonorum suorum Georgium Bebeck, oratores nostri nullo modo consentiant, sed opponant Bebeckum eo tempore, quo caperetur, fuisse subditum et capitaneum nostrum, stipendio conductum, qui nullo modo potuerit, neque debuerit, a fidelitate et obedientia nostra, vel ad Turcas, vel Transsylvanum deficere, et nos quoque exempli causa aliter facere non potuisse, quin illum, ut infidelem et perfidum subditum, atque ministrum nostrum pro demerito puniremus.

Porro intelleximus, quantopere postularit supremus principis Turcarum consiliarius Mehmeth passa constitui in confiniis certos limites, quod quidem nobis ipsis non potest improbari, quin immo existimamus pacem vel inducias nunquam fore firmas, nisi constituantur certi termini et fines, quos neutrius par-

tis militibus liceat armata manu transcendere; sed quia non videmus, quomodo id fieri possit aliter, quam in re praesenti, operae pretium proinde fuerit, ex utraque parte deputare commissarios pari numero, viros probitate, integritate, pacisque studio ac rerum usu praestantes, qui circumeuntes confinia, servata aequalitate et justitia, statuant certos notabiles, et utrique parti tolerabiles limites ac terminos, intra quos milites utriusque partis sese contineant, et ultra illos, praesertim armati, evagari non ausint, ita tamen, ut illorum commissariorum actio omnis ad ratificationem nostram et ipsius serenissimi Turcarum imperatoris remittatur.

Verum enimvero quicunque coloni et subditi, in alterutrius partis ditione existentes, hucusque ad utramque partem servitia, census, vel decimas praestiterunt, atque adhuc praestant, ubicunque illi siti sunt, ii deinceps etiam utrique parti, vel subditis earum, servitia, vel census, decimasque praestare debebunt, sine alterutrius partis impedimento.

Quodsi Turcarum princeps et passae consiliarii ejus denuo institerint pro divisione ejusmodi villarum communium, et ad utramque partem servientium, oratores nostri audiant, quo pacto cupiant et velint fieri talem divisionem, atque rem per litteras ad nos referant, nostramque desuper resolutionem expectent, ipsi vero ea de re sponte nullam mentionem ingerant.

Quoniam autem compertum est, Turcas in finibus existentes ordinariis censuum et tributorum solutionibus et servitiis, quae praestantur a communibus villis, non contentari, sed ea in dies magis, magisque augere et multiplicare ita, ut plerique jam triplo et

quadruploa, ac decuplo ferme plus extorqueant, quam coloni initio, cum facerent deditionem, pacti sunt, iisque prastandis coloni amplius pares esse nequeant, et non habentes unde amplius solvant, tandem metu captivitatis, relictis sedibus aufugiant, eamque ob causam terra quotidie magis desoletur, et utrique parti inutilis reddatur. Agendum proinde est, ut serenissimus imperator Turcarum ejusmodi intolerandas violentias, et inexplebilem rapacitatem suorum praefectorum, officialium et militum serio coerceat, et quod in conditionibus futurae pacis expresse constituatur, caveaturque, ne posthac milites Turcici, cujuscunque nominis, ordinis et gradus, colonos ultra ordinarios proventus, quos dominis eorum solvere consueverunt, et quibus Turcae initio contenti fuerunt, compellant, sed dimidia parte ejusmodi ordinarii proventus contententur, reliquam vero colonorum dominis relinquant. Quod cum non solum per se pium, justum et aequum sit, sed utrique etiam parti commodum, confidimus serenissimum imperatorem Turcarum in hoc nihil difficultatis facturum, idem ipsi quoque pro nostra parte sedulo curaturi sumus.

Caeterum, quamvis in tam amplo regno, diuturnis bellis afflicto et attrito, magni sit negotii ac laboris, omnia praecavere, quae subinde solent contra pacem et quietem publicam attentari, et vagantes atque errabundos passim praedones et plagiarios protinus coerceri, tamen omnino necessarium videtur, iniri rationes et vias, quibus turbulentorum et inquietorum audacia, quantum fieri potest, reprimatur. Ideo expediet utrique parti liberum et integrum relinqui, praedones et raptores, etiamsi alterius partis sint subditi, quos in ditione sua deprehenderit, merito sup-

plicio afficere. Qui si deprehendi nequeant, mox capitaneis, aut praefectis eorum, sicubi eos latitare compertum fuerit, indicentur, iique illos puniendi mandatum habeant. Quodsi tunc ex nostra et charissimorum fratrum nostrorum parte capitanei et praefecti officio suo non satisfacient, nos, fratresque nostri ea de re admoniti, illos pro demerito puniri faciemus, dummodo serenissimus Turcarum imperator ex sua parte idem fieri curet.

Adferet autem ad tuendam et conservandam in confiniis tranquillitatem publicam multum momenti, si conventum et constitutum fuerit, ne liceat praefectis et subditis ambarum partium intertenere et alere haydones, seu martalossos, plagiarios, atque id genus gregariorum hominum, qui non sunt alterutrius principis stipendio conducti, sed rapto vivunt, et quicunque eos aluerit, ut is pro demerito puniatur. Quocirca oratores nostri hanc quoque conditionem praesenti tractatui inseri studebunt.

Et quo melius obviam eatur temeritati et audaciae improborum hominum, denuo quoque firmiter statuendum erit, ut si contigerit pacis tempore a serenissimi imperatoris Turcarum praefectis, militibus, vel subditis, in quorum numero Transsylvanum etiam, et quoscunque passas et sanziackos intelligimus, civitatem aliquam, vel oppidum, arcem, castellum, fortalitium, seu qualemcunque locum nostrum, vel charissimorum fratrum nostrorum, quocunque praetextu quaesito, sive per vim et aperto marte expugnari, aut furtim etiam, et per clandestinas machinationes intercipi, tunc locus ille absque ulla tergiversatione ad manus nostras, et fratrum nostrorum illico restituatur, ii vero, qui violentiam illam fecerint, capite

plectantur. Et hoc intelligi, immo etiam expresse, et nominatim constitui debebit non modo de iis locis, qui nobis, fratribusque nostris immediate sunt subjecti, sed de illis etiam, qui ad subditos nostros pertinent, sive illi sint rebelles, sive fideles nostri, quia plane consentaneum est omni rationi et aequitati, ac utrique etiam parti valde commodum et utile, quod haec constitutio non solum in castris, arcibus ac locis, sed reliquis quoque rebus et bonis rebellium locum habeat, prouti alias quoque oratoribus nostris observandum erit, ut quae de nostris et serenissimorum atque charissimorum fratrum nostrorum locis, rebus et bonis ad nos immediate pertinentibus tractabuntur, eadem etiam ad subditos nostros, eorundemque fratrum nostrorum referantur.

Similiter juxta priorem divi quondam domini genitoris nostri, et nostram quoque capitulationem, cum serenissimo quondam sulthano Solymanno initam, expressis verbis paciscendum est, ut quicunque, vel nostri, ac charissimorum fratrum nostrorum, ipsiusque Turcarum principis milites ac subditi post publicationem hujus pacis et amicitiae ab altera parte capientur, mox, ubicunque fuerint, libertati restituantur, et sine impedimento, vel alicujus pretii pactatione sive solutione domum dimittantur, nec ullo modo, colore, vel ingenio quaesito detineantur, mancipentur, vendantur sive donentur.

Et quia interdum usuvenit, captivos effugere, atque etiam subditos, officiales et stipendiarios milites ad alteram partem transire, existimamus, ea in re similiter certam, et utrique parti aequabilem rationem pro coercenda inconstantia atque perfidia militum, ambabus partibus stipendia facientium, constituendam

esse. Itaque volumus, ut oratores nostri elaborent, et omnibus modis statui et concludi studeant, ut si quis captivus alterutrius partis, perfractis vinculis aut carcere, vel quocunque modo elapsus evaserit, fugaque sibi salutem quaesiverit, ne teneatur altera pars illum restituere, sed possit ille, adepta libertate, sine periculo illius, a quo profugit, apud suos potiri, atque gaudere ita, ut pariter utrinque admittantur, nempe Christiani apud nos, et Turcae apud Turcas; secus vero observetur de transfugis illis, qui cum in alterutrius stipendio atque servitio existant, vel in ditione ejus habitent, ad alteram profugiunt atque desciscunt, utputa, si subditi, officiarii, vel milites christiani ad Turcas, et rursus Turae ad Christianos profugerent, tales nequaquam liceat hinc admitti, sed utraque pars firmiter astringatur ad restitutionem illorum; etenim hac ratione non solum satisfiet religioni utriusque partis, sed insuper quoque subditi ac milites hinc inde tanto facilius in officio, fide et obedientia continebuntur.

Praeterea cum ex duellis quoque et provocationibus saepenumero graviores discordiae, turbae ac motus oriantur, plurimum etiam momenti adferet ad firmitatem et conservationem pacis, benevolentiae et quietis publicae, ut illa, durante pace, prorsus sint prohibita et illicita, et quicunque alium ad singulare certamen ausus fuerit provocare, is petente, et instante altera parte, gravissime puniatur.

Et quoniam constat, superioribus annis paci et amicitiae, quae divo quondam domino genitori nostro cum serenissimo quondam sulthano Solymanno intercessit, nonnunquam haud parum offecisse tam aedificationem novorum castellorum, arcium et muni-

tionum, quam veterum instaurationem; ideo consultum est, nunc ejusmodi difficultates praecavere, et hac quoque in re modum statuere, cui utraque pars se conformet. Itaque oratoribus nostris enitendum est, ut in hac parte statuatur et concludatur, quod utrique parti liberum et licitum esse debeat, pro arbitrio, commodo et necessitate sua aedificare, reparare, munire et fortificare quaevis loca, quae directe, immediate et absque ulla controversia in aedificantis solo, ditione atque districtu sita esse dignoscentur, neque ei in hoc ab altera parte quicquam impedimenti, sive negotii exhibeatur. In alieno vero solo, ditione atque districtu quemvis locum aedificare, reparare, munire, seu fortificare posthac, durante pace, minime liceat.

Et quia, ut antea quoque demonstratum est, in regno tam amplo et dilacerato, ac varias in partes distracto aegre praecaveri poterit, quin interdum ultro citroque oriatur aliquid discordiae atque incommodi, non abs re fuerit, tempestive providere, certamque rationem inire, ne forte aliquando ex parva discordia militum, subditorumque alterutrius partis majores motus et turbae nascantur, idcirco oratores nostri agant et procurent, hinc inde pactum et conventionem fieri, ut si quando magnae et arduae aliquae differentiae, vel super aliquo praemissorum articulorum, vel aliis quibuscunque de rebus orientur, quae matura provisione et remedio opus habeant, illae protinus referantur ad cognitionem commissariorum, qui sint viri graves, probi, prudentes, experti atque pacifici, in hunc eventum primo quoque tempore ex utraque parte pari numero eligendorum, et hi loco opportuno convenientes sine exercitu cum aequali personarum numero et comitiva, omnes et singulas ejusmodi con-

troversias emergentes audiant, cognoscant, decidant et amicabiliter componant, et talis denique modus et ordo constituatur, quo utraque pars suos homines et subditos citra omnem tergiversationem, vel praetextum gravissimis poenis ad sinceram et firmam pacis observationem compellat.

Quando vero negotia illa tanti forent momenti, quod per commissarios utriusque partis componi et explicari non possent, tum illa ad nos et serenissimum imperatorem Turcarum remittantur, quo ipsimet de iisdem componendis, sedandis et extinguendis viam et rationem aliquam inire possimus.

Est et aliud, de quo in praesenti tractatu transigere oportebit, videlicet, ut homines nostri, quos posthac habituri sumus in porta serenissimi imperatoris Turcarum, sive ii oratoris, sive agentis, sive procuratorio munere fungentur, vel quemcunque titulum obtinebunt, ii oratorum libertate etiam ac privilegiis, immunitatibusque frui possint ac debeant, quemadmodum aliorum principum, qui serenitati illius amici sunt, procuratores frui solent aut debent, habeantque liberam potestatem conducendi dragomannos sive interpretes quos et quotcunque velint, et litteras mittendi et recipiendi.

Similiter non impediantur etiam homines aut nuncii nostri, qui interdum ad amplissimam illam portam, vel ad hominem nostrum, qui ibi residebit, aut etiam ab eo ad nos per quamcunque viam mittentur, quin potius eisdem omnis favor et auxilium praestetur.

Casu vero, quod mentio incideret de commercio et mutua negotiatione omnis generis mercium hinc inde inter subditos utriusque partis instituenda, et

dum pax duraverit exercenda, oratores nostri poterunt atque debebunt respondere, ex quo hucusque observari consueverit certus modus quoad negotiationem pecuariam, eundem modum posse atque debere in futurum etiam observari, ita tamen, ut istiusmodi commercium pecuarium ad alias merces, cujuscunque generis existant, de quibus hucusque non solita sit fieri et continuari negotiatio, non extendatur, sed in hac parte res omnis in eo, quo nunc est, statu permaneat.

Has vero conditiones et articulos pro firmiore pacis robore serenissimus Turcarum imperator, perinde ac nos, sese firmiter, inviolateque observaturum, sub fide ac verbo suo promittere, necessariisque et opportunis litteris, in quibus memoratae conditiones omnes, prouti de iis conventum et transactum fuerit, ordine atque perspicue contineantur, statim confirmare debebit. Idque ut fiat, et ut tales litterae quam primum ad nos transmittantur, oratoribus nostris enixe postulandum erit, et vice versa promittendum, quod nos quoque similes litteras confirmatorias absque dilatione aliqua ad serenitatem ejus transmissuri simus.

Recordamur praeterea, illustrissimum ac magnificum Mehmeth passam non solum in suis ad nos litteris postulasse, ut in gratiam imperatoris sui, et pro contestanda integritate et benevolentia nostra vellemus etiam nunc statim manumittere, pristinaeque libertati restituere insignes aliquot Turcas captivos, et nominatim sanziackos Albensem, Fillekiensem et Clissensem; verum ea de re perquam accurate cum ipso Alberto de Wyss coram quoque egisse, pollicendo, Turcarum principem nobis vicissim in manumittendis aliquot captivis Christianis haud gravatim gratifica-

turum esse; a quo, si dicti oratores nunc iterum interpellabuntur, debent ei constanter affirmare, quod sanziacki illi non sint amplius in potestate nostra, et quod non habeamus in usu, sicuti nequaquam etiam conveniat, eos e manibus eripere viris illis bene meritis, quibus semel donati sunt. Verumtamen non esse, quod Mehmeth passa de illis sit multum sollicitus, siquidem illi alias brevi sint libertatem consequuturi, numerato, quod pacti jam sunt, redemtionis pretio. Alios autem insignes Turcas, qui apud nos capti essent, nullos sane nos scire, utrum vero aliqui sint in aliorum manibus, id similiter nobis non constare. Et quamvis etiam adessent, tamen in tempore, et ante ipsorum oratorum nostrorum discessum, qui hanc ob causam non fuerit differendus, non potuisse investigari, daturos tamen nos operam, ut perquirantur per omnia confinia, et quando aliqui fuerint inventi, digni tam praeclara serenissimi imperatoris intercessione, nos etiam in hac parte serenitatis ejus, ut decet candidum amicum, bonumque vicinum, rationem habituros, ac sincerae benevolentiae officio minime defuturos esse, confidentes etiam serenitatem ejus, dictumque Mehmeth passam nobis, ut pollicentur, eodem officii genere responsuros.

Quod vero ad Stephanum Bathory attinet, quem itidem petiit Mehmeth passa principis sui nomine a nobis dimitti, respondeant oratores nostri, si de dimissione ejus interrogabuntur, eum contra jus gentium non fuisse detentum, neque etiamnum captum teneri, sed justis et rationabilibus ex causis arrestatum fuisse usque ad exitum negotiorum, de quibus tunc temporis inter nos et Transsylvanum agebatur, quem hucusque nec regis quondam Johannis filius, nec

quisquam alius repetierit, nisi quod antehac obiter mentio injecta sit, si ipse Bathory dimitteretur, futurum, ut vicissim etiam uxor et liberi Melchioris Balassae dimitterentur. Verum tamen, posteaquam factus fuerit in hoc pacis negotio bonus aliquis progressus, nos in dimittendo illo nullam etiam difficultatem esse facturos, sed illum praesertim respectu serenissimi imperatoris Turcarum libenter dimissuros.

Cumque nobis relatum sit: unum ex interpretibus, qui inservire solent oratoribus nostris Constantinopoli residentibus, nomine Dominicum Zeffy, propter imputationes quasdam ipsi factas, quod notitiam habuerit de fuga uxoris Michaelis Zernovitz, Caffam fuisse relegatum, oratores nostri, legatione hac sua feliciter confecta, debebunt etiam pro illo intercedere, ut illi ignoscatur, et facultas redeundi Constantinopolim, ibique habitandi, et in futurum etiam, si voluerit, oratoribus nostris inserviendi concedatur.

Similiter debebunt tunc oratores nostri intercedere, nomine nostro, pro quodam capitaneo Hieronymo Fabiano de Sancto Remo, qui capitaneus fuit uniustriremis principis Andrae ab Auria, atque praesens prope Constantinopolim in turri maris nigri captus detineri dicitur: ut si fieri queat, nostri intuitu libertatem recuperet, siquidem nobis ab oratore serenissimi et catholici Hispaniarum regis in aula nostra residente, cui clementer gratificari cupimus, magnopere commendatus est.

Cum insuper fieri queat, ut Galli atque Veneti apud Turcarum principem laboraturi sint, quo et ipsi in hac pace comprehendantur, oratores nostri curare debent, ut si quid tale in medium adferretur, ipsi artificio aliquo pro sua industria et dexteritate ejus-

modi desiderium et conatus illorum eludant, efficiantque, quo possimus hujusmodi consortium effugere, ostendendo, se de praedictis vel aliis principibus, praeterquam serenissimo, atque catholico Hispanorum rege, fratre et patruele nostro charissimo, huic paci includendis, nihil in mandatis a nobis accepisse.

Illud tamen post finem negotiorum, nostrorum, factaque plena de suprascriptis conditionibus omnibus transactione poterunt ac debebunt oratores nostri, sive interrogati fuerint, sive non, de jam dicto serenissimo fratre nostro rege catholico polliceri: si serenissimus Turcarum princeps cupiat etiam cum eodem Hispaniarum rege, fratre nostro, amicitiam contrahere, pacemque colere, nos haud gravatim partes nostras interposituros esse, nec dubitare, quin serenitas illius pro mutua et arctissima sanguinis conjunctione, quae nobis et serenitati ejus intercedit, et pro fraterno amore, quo nos invicem mutuo complectimur, in hac re, ut in aliis omnibus, voluntati nostrae haud gravatim sit satisfacturus. Itaque oratores nostri desuper clarum et certum responsum obtinere studebunt.

De Gallis autem ac Venetis, aliisve principibus Christianis in hac pace comprehendendis, si Turcarum princeps et passae consiliarii ejus sponte nihil proposuerint, oratores etiam nostri ultro nullam mentionem ingerant.

Atque haec quidem sunt, quae saepe dictis oratoribus nostris ad praesens injungenda et praescribenda duximus, ad quae in ista legatione quovis loco et tempore respiciant, ac sese per omnia et in omnibus accommodent. Reliqua vero, cum in ejusmodi arduis negotiis difficile sit omnia praevidere, et con-

jectura assequi, nedum litteris et instructionibus praescribi atque comprehendi, eorundem oratorum nostrorum eximiae fidei, prudentiae et industriae committimus, non dubitantes, quin in iis, quae ipsis quotidie occurrunt, probe diligenterque advertent, ne quid fiat, quod dignitati atque existimationi nostrae labem aliquam aspergat, quin immo omnes ingenii vires eo conversuri sint, ut negotium hoc ad honestum, felicem et optatum finem primo quoque tempore perducatur.

Si quid tamen oratoribus nostris offerretur tam grave atque difficile, quod ipsi per se commode explicare non possent, tum illud ad nos summa celeritate per specialem veredarium referant, nostramque benignam resolutionem exspectent.

Tandem vero rebus omnibus confectis, Episcopus Agriensis et Christophorus a Teuffenpach, impetrata a serenissimo Turcarum imperatore abeundi licentia, et valedictis atque in suo erga nos studio diligenter confirmatis passis, et praecipue illustrissimo et magnifico Mehmeth passa, supremo ejusdem imperatoris consiliario, ad nos revertantur, nosque de omnibus, quae gesserint, humiliter atque fideliter informent; Albertus vero Wyss in porta ejusdem Turcarum imperatoris deinceps etiam usque ad aliam jussionem nostram permaneat, suaeque ordinariae legationi solita fide, cura et animi promtitudine incumbat, in quibus omnibus dicti oratores nostri exequentur benignam et expressam voluntatem nostram, omni gratia et benignitate nostra caesarea recognoscendam. Datum in arce nostra regia Posonii die vigesima quinta mensis Junii, anno Domini millesimo

quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. M. Singkhmoser m. p.

VII.

A Konstantinápolyba menendő ajándékok lajstroma.

Consignatio munerum honorariorum, in quantum nimirum se extendant, jam Constantinopolim ad Turcarum imperatorem et bassas per dominum Agriensem episcopum, et dominum de Teuffenpach ferendorum, ac discrete Turcarum imperatori et bassis per eosdem legatos administrandorum anno D. 1567.

Primum: afferent eo Turcarum imperatori munus honorarium, cujus pecuniaria substantia constituit triginta millia ducatorum, aut si ducatus pro talero uno et dimidio computetur, quadraginta qninque millia talerorum.

Item: quindecim elegantia et fabrefacta pocula, interius et exterius inaurata.

Praeterea eidem Turcico caesari duo horologia summi artificii.

Mahometi vero bassae quatuor millia ducatorum aureae monetae, quibus ad talerorum valorem computatis, provenit summa sex millium talerorum.

Eidem bassae quatuor pocula duplicata.

Item horologium.

Perthau vero bassae duo millia ducatorum, similiter aureae monetae, qui constituunt tria millia talerorum.

Item: pocula duplicata duo.

Nec non horologium.

Ferrati vero bassae mille ducatos, quibus in taleros redactis, fiunt mille et quingenti taleri.

Ad haec duo pocula.

Reliquis tribus visir, singulis eorum millenos ducatos, qui faciunt simul connumerati, tria millia talerorum.

Porro ad donaria praecipuis Turcicae aulae officialibus et aliis ministris assignanda et offerenda deputantur duo millia talerorum, quos tamen oratores, habito inter personas discrimine ac harum qualitate observata, pro suo arbitrio, uti ipsis videbitur, distribuent.

Bassae Budensi duo millia destinantur talerorum.

Insuper, ex argento quidem conflata sed inaurata duo pocula.

Turcicis autem duobus interpretibus, quippe Hebraimo quingenti ducati attribuuntur, alteri trecenti; qui una computati faciunt mille et ducentos taleros.

Alberto de Wyss, oratori Constantinopolitano, jam supra duo illa millia ducatorum ipsi Venetiis Constantinopolim ordinatorum, una mittuntur quinque millia talerorum.

Praeter haec omnia, ad omnes ingruentes extraordinarias erogationes et necessitates dominis oratoribus offerentur et tradentur mille taleri.

Ad opinionem vero domini episcopi Agriensis constituit sacra caesarea majestas, etiam quartum ex visir bassa supra mille taleros duorum poculorum munere afficiendum.

Si vero domino episcopo videbitur, ut etiam bassae Temesvariensi munera offerantur, sacra majestas caesarea ipsi duo pocula missura est. Quantum autem pecuniae eidem assignandum praefatus dominus episcopus censeat, opinionem suam superinde explanabit.

VIII.

Pénz, ezüstkupák és órák lajstroma. *)

Summa pecuniae, scyphorum argenteorum, horologiorumque, quae per me Andream Schnätterl caesareum solutore bellico **) d. Maximiliani ad Turcarum imperatorem dominis oratoribus, suae majestatis nomine tradita sunt:

Primo: in decem doliolis, quorum singulum continet sexaginta millia talerorum, id est: 60000 talerorum.

Item: in sacco uno quingenti et septuaginta taleri, id est: 570 talerorum.

Postremo: in sacco uno quinque millia quadringenti et viginti ducati aurei. Id est: 5420 ducati.

Numerus scyphorum, pondus et valor eorundem:

Primus ponderat cum operculo marcas viginti quinque, uncias tredecim cum dimidia. Aestimatio marcae extenditur ad sedecim florenos: facit 413 fl. 30 x.

Secundus est duplex, ponderat marcas 17. uncias 12. quintas 3. Aestimatio marcae 18 floreni: facit 320 fl. 20 x.

Tertius est simplex, ponderat marcas 17. uncias 14. Aestimatio marcae 18 floreni: facit 321 fl. 44 x.

*) Faustus s utána Miller hibásan az 1555-dik évhez.

**) Schnätterl, mint még alább is látni fogjuk, nem volt nagy mestere a deák szónak.

Quartus est duplex, ponderat marcas 13. uncias 1. ½. Aestimatio marcae 15 floreni 45 cruciferi: facit 206 fl. 13 x.

Quintus item duplex, ponderat marcas 12. uncias 15½. Aestimatio marcae 15 floreni 45 cruciferi: facit 204 fl. 15 x.

Sextus simplex cum operculo ponderat marcas 7. uncias 3. Aestimatio marcae 17 floreni: facit 123 fl.

Septimus ponderat marcas 6. uncias 8. quintam ½. Aestimatio marcae 15 floreni 45 cruciferi: facit 103 fl. 29 x.

Octavus superioris ponderis et aestimationis: 103 fl. 29 x.

Nonus ponderat marcas 9. unciam ½. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 191 fl. 52 x. 2. d.

Decimus ponderat marcas 8. uncias 5½. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 166 fl. 52 x. 2. d.

Undecimus ponderat marcas 8. uncias 10. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 172 fl. 30 x.

Duodecimus ponderat marcas 9. unciam ½. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 180 fl. 37 x. 2. d.

Decimus tertius ponderat marcas 8. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 160 fl.

Decimus quartus superioris ponderis et aestimationis: 160 fl.

Decimus quintus cum operculo ponderat marcas 7. unciam ½. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 140 fl. 37 x. 2. d.

Decimus sextus ponderat marcas 16. uncias 4. quintam 1. Aestimatio marcae 18 fl.: facit 292 fl. 46 x. 2. d.

Decimus septimus ponderat marcas 14. uncias 11. Aestimatio marcae 16 fl.: facit 235 fl.

Decimus octavus ponderat marcas 6. uncias 5. quintas 2. Aestimatio marcae 15 fl. 45 cruciferi: facit 99 fl. 33 x.

Decimus nonus ponderat marcas 7. unciam 1. quintas 3. Aestimatio marcae 15 fl. 45 x.: facit 111 fl. 27 x.

Vigesimus ponderat marcas 12. uncias 7. quintam $^1/_2$. Aestimatio marcae 15 fl. 45 x.: facit 196 fl. 1 x.

Vigesimus primus ponderat marcas 10. uncias 7. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 200 fl. 37 x. 3. d.

Vigesimus secundus ponderat marcas 8. uncias 7. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 168 fl. 45 x. 2. d.

Vigesimus tertius ponderat marcas 8. uncias $5^1/_2$. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 166 fl. 52 x. 2. d.

Vigesimus quartus ponderat marcas 6. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 120 fl.

Vigesimus quintus ponderat marcas 7. uncias 8. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 150 fl.

Vigesimus sextus ponderat marcas 7. uncias 5. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 158 fl. 45 x.

Vigesimus septimus ponderat marcas 6. uncias 10. Aestimatio marcae 20. fl.: facit 132 fl. 48 x. 3 d.

Vigesimus octavus ponderat marcas 6. uncias 8. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 130 fl.

Vigesimus nonus ponderat marcas 6. uncias 5. Aestimatio marcae 20 fl.: facit 126 fl. 15. x.

Trigesimus ponderat marcas 10 fl. uncias 5. Aestimatio marcae 15 fl. 45 x.: facit 162 fl. 33 x.

Ultimus ponderat marcas 10. uncias 8. quintam 1. Aestimatio marcae 15. fl. 45 x.: facit 165 fl 40 x.

Numerus horologiorum cum aestimatione eorundem.

Primi horologii aestimatio est ducentorum quinquaginta florenorum Rhenensium; id est: 250 fl.

Secundi, quae *) speculum continet, aestimatio est 166 fl.

Tertii aestimatio est 145 fl.

Ultimi aestimatio est 160 fl. A. v. Schnätterl m. p.

IX.

A Konstantinápolyba menő készpénz, ezüst edények és órák bővebb lajstroma.

1657. jun. 28. Consignatio pecuniae paratae, vasorum argenteorum et horologiorum reverendissimo domino Antonio Verancio, episcopo Agriensi, atque nobili strenuoque domino Christophoro a Teuffenpach, ambobus consiliariis sacratissimae caesareae majestatis, ex eiusdem decreto et commissione ad institutam in Turcicum imperium legationem per me Andream Schnatterl solutionum bellicarum, Hungariae regnum attinentium, magistrum administratorum et traditorum, contestante subsequentis seriei tenore. Actum Posonii vigesima octava die Junii anno supra millesimum et quingentesimum sexagesimo septimo.

Primum: Turcarum imperatori muneris vice offerenda quadraginta quinque millia talerorum, quorum duodecim millia centum et septuaginta sex, singuli cruciferis sexaginta et octo; decem et octo millia quingenti, septuaginta et unus, singuli quidem horum cruciferis etiam sexaginta et octo, et denario uno nigro; item mille trecenti et triginta, cruciferis se-

*) Igy, „quod“ helyett; Schnätterl esze az ‚Uhr‘ nemén járt.

xaginta et octo atque duobus denariis (uti vocantur) nigris; demum duodecim millia, noningenti viginti tres, singuli cruciferis sexaginta novem valeant. Sic sane una summa his omnibus connumeratis constituunt unum et quinquaginta millia trecentos decem et septem florenos, cruciferum unum. (Id est: 51317 florenos, 1 cruciferum.)

Insuper quindecim artificiosissima pocula, quippe, primum: habens operculum, et constans pondere viginti quinque marcarum, lotorum tredecim, quintarum duarum. Marca quidem florenis sedecim aestimata: fiunt 413 flor. 39 cruciferi.

Item: duplicatum poculum (cujus similia genera cupae vocantur) pondere marcarum septemdecim, lotorum duodecim, quintarum trium. Marcae unius valore decem et octo florenorum Rhenensium existente: proveniunt 320 flor. 30 cruciferi.

Item: simile pondere marcarum septemdecim, lotorum quatuordecim. Marcae aestimatione decem et octo flor. consummante: fiunt 321 flor. 45 cruc.

Item: simile, quo ponderato marcae tredecim, lotum unum cum dimidio deprehenditur. Marca quindecim flor. et quadraginta quinque cruciferis soluta: computatur 206 flor. 13 cruciferi.

Item: aliud simile, cujus ponderatio duodecim marcas, lota quindecim cum dimidio adaequat. Marcae pretio quindecim florenis et quadraginta quinque cruciferis putato: emergit summa 204 florenorum 15 cruciferorum.

Item: poculum coopertum pondere septem marcarum (singulis harum septemdecim florenis Rhenensibus valentibus), lotorum trium, quintarum totidem: fiunt 123 flor.

Item: simile, cujus pondus marcas sex, lota novem, quintam dimidiam praestat. Marca constante quindecim florenis et quadraginta quinque cruciferis: conficiuntur 103 flor. 29 cruciferi.

Item: simile ejusdem ponderis, et marca ejusdem valoris, summaque eadem, scilicet 103 flor. 29 cruc.

Item: duplicatum Viennensi pondere marcarum novem lotorum novem cum dimidio. Marca emta duodecim florenis: constituuntur 191 flor. 52 cruc. 2. d.

Item: simile marcarum octo, lotorum quinque cum dimidio. Marca paris pretii cum superiori: facit 166 flor. 52 crucif. 2. d.

Item: simile marcarum octo, lotorum decem. Marca viginti florenis aestimata: fiunt 172 floreni 30 cruciferi.

Porro: Ferratae bassae mille et quingenti taleri, singuli sexaginta novem cruciferis valentes, faciunt 1725 flor.

Idem: duo duplicata pocula pondere sedecim marcarum, duodecim cum dimidio lotorum. Marca viginti floren. fiunt 335. flor. 38 cruciferi.

Item: reliquis tribus visir, singulis in parata pecunia mille taleri, qui simul valore sexaginta novem cruciferorum connumerati, efficiuntur 3450 floreni 38 cruciferi.

Item: reliquis tribus iisdem visir, cuivis eorum duo pocula, quae simul constituunt numerum poculorum sex. Primum continet pondus marcarum sex. Marca viginti florenis constante: fiunt 120 floreni.

Secundum septem marcarum et octo lotorum. Marca ejusdem valoris cum superiori: fiunt 150 flor.

Tertium duplicatum marcarum septem et quindecim lotorum, constat 158 flor. 45 crucif.

Quartum simile sex marcarum, lotorum decem, unius quintae: valet 132 flor. 48 crucif. 3 d.

Quintum sex marcarum et octo lotorum, comparatum 130 flor.

Sextum totidem marcarum lotorum vero quinque. Marcae horum omnium cum primo idem valor, videlicet viginti floreni, constat hoc 126 floren. 15 crucif.

Item: tradita sunt dominis oratoribus pro muneribus praecipuis officialibus et aliis ministris aulae Turcicae cessura duo millia talerorum, quos tamen praememorati domini oratores pro qualitate et differentia personarum inter ipsas distribuent. Singuli taleri valent sexaginta novem cruciferis, faciunt simul Rhenenses florenos 2300.

Pro munere bassae Budensis mille ducati et quingenti taleri, qui computati faciunt duo millia talerorum, inter quos ducenti nonaginta ducati, cruciferis centum et septem., ducenti vero et sexaginta ducati, centum et octo, denique taleri sexaginta novem cruciferis valentes, Rhenenses florenos pariunt 2353 flor.

Item: duplicata duo pocula pondere viginti marcarum, lotorum quinque et dimidiae quintae. Marca valet florenis quindecim, cruciferis vero quadraginta quinque: fit summa 328 flor. 13 crucif.

Postremo duobus interpretibus Turcicis, Ebrahimo nimirum quingenti ducati, et alteri trecenti dentur, quorum singulis cruciferis centum et septem valentibus, conficitur summa 1426 flor. 40 crucif.

Item: aliud simile, pondere marcarum novem, loti dimidii. Marca viginti florenos merente fiunt: 180 flor. 37 cruciferi, 2. d.

Item: poculum coopertum marcarum octo. Marca viginti florenis soluta: fit summa 160 flor.

Item: simile ejusdem ponderis et pretii et summae, 160 flor.

Denique simile, pondere marcarum septem, loti dimidii. Marca viginti florenis comparata: fiunt 140 flor. 37. cruciferi, 2. d.

Post haec duo horologia, unum ducentis et quinquaginta florenis, et alterum, speculo ornatum, centum et sexaginta, sex florenis comparatum, simul faciunt 416 flor.

Porro iisdem dominis oratoribus supramemoratis pro munere Mahometi bassae assignando, in parata pecunia duorum millium ducatorum summa, singulis quidem centum et quinque cruciferis, universis vero tribus millibus talerorum, et horum singulis sexaginta novem cruciferis valentibus, tradita. Ducatis ergo in florenos computatis proveniunt 6950 floreni.

Praeterea poculum duplicatum praedicto Mahometi bassae muneris loco cessurum, pondere sedecim marcarum, quatuor lotorum, unius quintae. Marca decem et octo florenorum: conflantur 292 flor. 46 cruc. cum dimidio.

Item: simile poculum, pondere marcarum quatuordecim, lotorum undecim. Marca valente sedecim florenis: conficiuntur 235. floreni.

Item: aliud simile, pondere marcarum quinque, lotorum duorum. Marca pretio quindecim florenorum, et quadraginta quinque cruciferorum: fiunt 99 flor. 33 cruciferi.

Item: aliud simile, pondere marcarum septem, lotorum trium. Marca valore quindecim et quadra-

ginta quinque cruciferorum: constituuntur 111 flor. 33 cruciferi.

Item: horologium centum et quadraginta quinque florenis Rhenensibus emtum, et eidem Mahometi bassae deputatum: sunt 145 floreni.

Item: pro munere Perthau bassae mille sexingenti et viginti ducati (ex quibus mille centum et octoginta, singuli nimirum centum et quinque cruciferis, reliqui vero quadringenti quatuor, singuli cruciferis centum et septem valent) et quingenti septuaginta taleri, qui valent octo et sexaginta cruciferis: fiunt 3495 floreni, 40 crucif.

Item: duplicatum poculum pondere marcarum duodecim, lotorum septem, quintae dimidiae. Marca decem et quinque florenis et quadraginta quinque cruciferis constante: proveniunt 196 flor. 1 cruc.

Item: aliud, pondere Viennensi marcarum decem, loti dimidii. Marca viginti florenis aestimata: efficit 200 fl. 37 crucif. 2 d.

Item: horologium valore centum et sexaginta Rhenensium, id est: 160 floreni.

Summa paratae pecuniae, et pretium vasorum argenteorum et horologiorum comprehensim constituit nonaginta septem millia, trecentos et viginti tres Rhenenses florenos, cruciferos vero quinquaginta sex et tres denarios.

X.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián.

1567. jul. 5. Reverendo devoto Antonio Verancio episcopo Agriensi, nobili Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis et oratoribus nostris Constantinopolim destinatis, fidelibus nobis dilectis.

Verancsics kezével: Redditae Comaronii 4. Julii 1567.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator, semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. rex.

Reverende devote, ac nobilis, fideles nobis dilecti. — Rumores e diversis locis allatos, ex scripto hisce nostris incluso cognoscetis, qui cum induciis ac mutuae tranquillitati inter nos ac serenissimum principem Turcarum stabiliendae consentanei minus esse videntur: committimus vobis clementer, cum Dei benignitate Budam feliciter perveneritis, passae ibidem existenti ejusmodi rumores copiose referre, et quia suum esse, illarum partium sui principis ministris imperare, asseruerit, eundem admonere velitis, ut illos sui principis ministros statim et de facto quiescere jubeat, secus enim vos aliud facere non posse, quin omnem rei statum ad ejus principem deferatis, sicuti hoc ipsum *) in eum finem passa ipse nihil egerit, vos facere voluimus atque mandamus, clementem in eo nostri voluntatem exequuturi. Datum in arce nostra regali in *(így)* Posonii die tertia mensis Julii anno Domini millesimo quingentesimo sexa-

*) Kimaradt „si.“

gesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium. H. v. Fieringer m. p.

XI.

Ugyanazoknak ugyanaz.

Reverendo, ac nobili, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, nostris consiliariis et oratoribus ad imperatorem Turcarum ablegatis. Cito, cito, citissime, cito, cito, cito. Comaronium. 1567. Jul 4.

Verancsics kezével: Redditae Comaronii 5. Julii 1567.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende, ac nobilis, fideles nobis dilecti. — Injungimus vobis, ut profectionem vestram, quantum fieri potest, maturetis, nec Comaronii ullam moram faciatis, haec enim est benigna et expressa mens ac voluntas nostra. — Datum in arce nostra regia Posonii die quarta Julii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XII.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián.

1567. jul. 6. Reverendo, ac nobili, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi ac Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, nostris consiliariis et oratoribus ad imperatorem Turcarum ablegatis. Cito cito cito cito cito citissime Comaronium.

Verancsics kezével: Redditae Comaronii 6. Julii 1567.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum inperator semper augustus etc.

Reverende, ac nobilis, fideles nobis dilecti. Litteras vestras tertia praesentis Comaronii datas accepimus, et intellecta vestra opinione de exhibendo etiam aliquo munusculo praefecto Strigoniensi, jussimus illico vobis mitti duas cuppas valoris circiter trecentorum florenorum, quas cum praesentibus litteris nostris accipietis, dictoque praefecto nomine nostro donabitis cum adhortatione convenienti de induciis candide servandis, quamvis is sese in hoc negotio induciarum haud aequum praebuerit, nostrosque tabellarios per biduum ferme sine cibo detinere consueverit. Cum igitur jam currus quoque novi ad vos missi sint, nec quicquam amplius apparuit, quod vos remorari debeat vel possit, denuo vobis clementer et expresse committimus, ut ne diutius isthic haereatis, sed, quantocius fieri potest, discedatis, iterque vestrum omni cura et soliditate prosequamini. Facturi in eo benignam et expressam voluntatem nostram

Datum in arce nostra regia Posonii die quinta Julii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimonono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XIII.

Maximilián császárnak Verancsics és Teuffenpach.

Ad sacram caesaream majestatem.

Clementissime imperator. Heri accepimus clementes sacratissimae caesareae majestatis vestrae litteras cum duobus scriptis de quodam Hamzabeghi apparatu contra municipium Sisciae ad amnes Savum et Colapim situm, ac de latrociniis beghi Neugradiensis in ditione Corponensi. Quae omnia humillime intelleximus, et enitemur omni diligentia, ut passam Budensem latius etiam edoceamus, curemusque adducendum, ut hujusmodi excursiones motusque prohibeat, statumque omnium finium in tranquillitate quieteque contineat. 1567. jul. 5.

Caeterum jam est quatriduum, quod dominus capitaneus duobus hominibus passam Budensem edocuit, primo de appulsu magnifici domini collegae mei, postremo de meo quoque, et postulavit edoceri, qua ratione et quo loco nos hominibus suis excipere decreverit, nec adhuc tamen ab eo responsum venit. Quod alioqui hodie exspectamus, nulla alia causa moram hic trahentes, quam donec ab eodem passa domino capitaneo, nobis vero a caesarea majestate

vestra respondeatur, quid eadem clementer constituerit de munere begho Strigoniensi faciendo, putantes summe esse necessarium ne praetereatur. Alias si secus sacratissimae caesareae majestati vestrae visum fuerit, suppliciter oramus, ut dignetur clementer et mature nos edocere, quomodo cum eo agemus, si illum accedere cogemur in transitu, quandoquidem dicitur, quod excipiet nos pluribus naszadis et apud se subsistere faciet, quo casu nisi munerabitur, aegre laturum, non est dubitandum. Deus omnipotens sacratissimam caesaream majestatem vestram conservet quam diutissime incolumem et felicem. Comaronii die 5. Julii anno 1567. Agriensis et Teuffenpach.

XIV.

A császárnak Verancsics és Teuffenpach.

Ad caesaream majestatem.

1567. jul. 6. Hac hora diei 8. litteras sacratissimae caesareae majestatis vestrae et duas cuppas pro Strigoniensi begho accepimus, nec jam quicquam moratur nos hic, quam responsum passae Budensis de ulteriore progressu nostro. Idque quum serius ab eo nobis affertur, causa prorsus ignorata, hoc mane nos quoque ad eum dedimus litteras, sollicite urgentes, ut maturet nos ad se deduci facere; ut autem vestrae quoque caesareae majestati constet, quid illi scripsimus, copiam earum litterarum ad eandem humillime transmisimus, quam etiam reddimus certissimam, subito nos hinc Domino comite soluturos, ubi primum exspectatum passae responsum habebimus. Et Deus omnipotens etc. Comaronii 6. Julii 1567.

XV.

Wyss Albertnek Verancsics.

Ad magnificum dominum Albertum de Wys.

Magnifice domine, amice, tamquam frater et col- 1567. jul. 11.
lega observandissime, salutem et officiorum meorum commendationem. Nos cum magnifico domino Christophoro a Teuffenpach heri huc appulimus. Hodie apud passam audientiam habuimus, quae et honorata et grata exstitit, et si non die crastina, perendie omnino ulterius hinc promovebimus ambo ferme cum 86 personis. Magnificam igitur dominationem vestram rogo, ut si sine ejus incommodo fieri poterit, velit non gravate providere me ea parte istius hospitii, quam priore mea legatione obtinui, quamquam alioqui nihil exigo, quod posset esse cum incommodo suo, curantes sedulo ambo, ut quam celerrime una simus. Et magnifica dominatio vestra felicissime valeat. Budae XI. Julii 1567.

XVI.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad sacratissimam caesaream majestatem.

Quum 9. hujus mensis Comaronio movissemus, 1567. jul. 12.
Strigonium eadem die tempestive appulimus, ibidemque pernoctavimus, quoniam vi venti, quae Danubium ab imo fere usque turbaverat, ulterius prodire nequive-

rimus. Tunc existimantes, beghum loci ejus velle nos ad se deduci, praeparaveramus nos, ut eum adiremus. Erat autem in arce. Ciausus quoque, qui nostri curae a Budensi passa praefectus fuerat, sic ad beghum ascenderat, ut ipse etiam crederet, quod ipsum accedere deberemus. Verum ille causata aegritudine, nos ad se venire noluit. Nos etiam ut cum quo nihil negotii habebamus, ne verbum quidem audientiae subjunximus, agnito ex hoc hominis malo animo et pejoribus moribus, juxta ea, quae sacratissima majestas vestra de illo nobis clementer scripserat, quando pro eo etiam nobis miserat duas cuppas, quas in hunc modum lucrati retinuimus usui cujuspiam melioris. Curavit tamen idem beghus ut necessaria nobis suppeditarentur et deduceremur Budam.

Die insequenti, quae fuit decima, Budam venimus, exceptique mox passae nomine, a quodam intimo ejus ministro, Kewrth agga nuncupato, undecima audientiam apud eundem gratam et honoratam habuimus, et quantum tum ex vultu tum ex responsis ejus perspicere potuimus, visus est omnia gratissima habuisse, quae et donavimus illi et locuti sumus, caeterum quia dixit se privatim nobiscum colloqui velle, diem quoque duodecimum hic substitimus, tredecimo ulterius omnino, qui est crastinus, Domino comite promoturi. Quae paucis de ratione progressus nostri prosecuti, jam ea, quae ad rem pertinent, exequemur.

Et primum omnium, passa heri adhuc accepta cognitione numeri personarum, quas habemus, uno tempore et ciausum unum primarium misit per postas Constantinopolim adventum nostrum nuncians, et

mandata dedit ad omnes finitimos beghos citra et ultra Danubium residentes, ut sub amissione capitum servent praesentes inducias, nec quoquam excurrant praedabundi.

Significavit etiam nobis, designasse se ad caesaream majestatem vestram hunc ipsum Kwrth aggam nuncium, et ejus opera communicatis cum eadem caesarea majestate vestra, quae ad stabiliendas has inducias pertinebunt, dum oratores solidam pacem procurabunt, ita easdem per confinia Turcica constituat et confirmet, ut majestas vestra caesarea desiderabit, quo rite servari possint.

Nos hoc ejus institutum probavimus, illumque etiam cohortati sumus, ut memoratum nuncium ad caesaream majestatem vestram expediat, putantes futurum, ut firmius de iisdem induciis transigatur. Hic autem Kwrth agga quia cum magnifico domino comite Ecckio admodum intrinsecam habet amicitiam et intelligentiam, adeo, ut fere solius ipsius opera usus est passa in movendis et promovendis tractatus hujus pacis initiis, propensius adducti sumus, ut hoc passae consilium approbemus, judicantes, gratum caesareae majestati vestrae fore, ut cum tali homine colloquatur, qui omnem et animum et voluntatem et conatum passae novit. Nosque his omnibus diligenter consideratis et expensis, visoque etiam, quod passa nobiscum non utitur alio internuncio, quam eo solo, conciliandum nobis esse duximus, donata illi nomine majestatis vestrae caesareae altera cuppa de duabus postremo nobis missis. Quamquam et dominus comes Ecckius nos per litteras monuerat, ut ei aliquid donaremus, arbitramurque hanc unam cuppam melius fuisse donatam huic, quam ambae fuissent illi,

cui erant destinatae. Quemadmodum etiam majestas vestra intelliget, si ad eam venerit, viso et cognito homine erga res majestatis vestrae non mali animi.

Praeterea illud quoque per hunc ipsum Kwrth aggam significarat nobis passa: tractari in porta sui principis, ut hinc alio idem passa transferatur. Idque sibi vel eo solo nomine valde displicere, quod ignoret, an illi talis passa succederet, qui hoc negotium pacis sic esset tractaturus, ut ipse; optabatque, ut, si habuissemus in mandatis, ageremus omni studio apud Memhet passam nomine vestrae caesareae majestatis, permitteretur in administratione Budensis praefecturae, et si hoc ipsum non haberemus in commissis, curaremus quamprimum per litteras, ut id quoque mandati daretur nobis, quod ex eo plurimum tota res memoratae pacis penderet, nimirum si diutius in hoc confinio perseverasset. Quod ipsemet per sese etiam locutus est nobis valde diligenter in colloquio hodierno, quod privatim habuit nobiscum ferme per duas horas.

Ideo, clementissime imperator, videntes hominis et faciem admodum ingenuam ac liberalem, et sermonem solidum, non affectatum neque subdolum, quantum ex bino congressu assequi potuimus, miram in eo cernentes ad hanc pacem inclinationem, existimavimus expedire, immo etiam pernecessarium esse, ut hic homo, quoad ejus fieri poterit, hic retineatur, maxime etiam, quod dicat Memhet passam avunculum suum omnia agere pro ipsius arbitratu, unde et propterea cuperet idem Memhet passa, quod apud eum in Porta esset, is autem (ut ait) mallet hac praefectura in Hungaria frui, quam in Porta quovis supremo gradu.

Ad haec itaque nos respondimus: esse quidem nobis facultatem ea agendi et tractandi omnia, quaecunque essent resarciendae huic amicitiae et paci consentanea, vellemus etiam agere quantum a nobis postularet, esse tamen fidei et subjectionis nostrae, ut de his majestatem caesaream vestram edoceremus. Quid itaque in hoc nos caesarea majestas vestra clementer agere voluerit, ab eadem iter nostrum prosequentes humillime exspectabimus.

De quibus autem privatim collocuti sumus, ea non admodum fuerunt magni momenti. Primum tamen quaesivit de eclipsibus, si eas haberent nostrae litterae et quid portendant? Postea incidimus in varia de rebus et personis finitimis, quae pacem perturbarent. Interrogavit quoque: quo numero proxima nostra expeditio militum fuisset? Quum respondissemus: ad 50 vel 60 millia virorum, subjunxit: plura fuisse, et apud eos constitisse certis authoribus, quod etiam centum millia excessissemus. Silentio hanc ejus opinionem quasi confirmavimus. Postea illud quoque interrogavit: cur illae copiae emissae ex castris. non erupissent in Albense praesidium? Diximus: culpa exploratorum et gregariorum incidisse. Subjunxit: ibidem tunc suos milites fuisse, paucos admodum, nec alterius generis quam Asiatici, qui et inermes et imbelles erant; sed castris (uti erant posita) loco suo dimissis, omnes milites bifariam in insidiis collocarant, quo si nostri castra forte invasisent, a lateribus eos et a tergo circumveniendo prosternendos curavissent.

Interrogavit praeterea: quot majestas vestra fratres haberet et si jam in imperatorem fuisset coronata? cui quum respondissemus: quod haberet duos

fratres, et quod ipsa etiam dudum fuisset in imperatorem coronata, quaesivit: quasnam haberent fratrés ejus ditiones? Respondimus: unumquemque satis habere provinciarum ita, ut se regaliter ambo haberent; caeterum quod praeter Hungariam plura adhuc regna haberet majestas vestra, et quidem non inferiora, quam sit Hungaria, quae adhuc omnia intacta, salva et integra forent. Subjunxit admiratione: ergo, inquiens, falso nos credebamus, quod jam etiam Germaniarum bonam partem pessumdassemus. Adjecimus: nihil minus, et quod hactenus cum sola Hungaria fuissent colluctati, cujus jam nonnisi extremae fimbriae restarent. Ad quae subjunxit: ergo postquam sic actum sit de Hungaria, dimittatur tota nostro caesari, et tandem eam pacem inter utrumque faciamus, quae erit constans, fidelis et perpetua. Respondimus: haec esse in eventu et facile bonam pacem inter utrumque caesarem sequuturam, si juberetur Transsylvano, ut quiesceret, nec domini passae vesirii magnifacerent quaedam parvalia castellorum sive arcium, quae cujuscunque essent partis, nullam prope utilitatem secum afferrent, si vero armis et vi quaererentur, essent causa regni prosus evertendi et populos dispergendi, non sine utrorumque finium magna jactura. Affirmavit, ita esse, et jam ita fieri non debere, postquam vos tales oratores dominus vester ad excelsam portam dimiserit.

Ita autem laetabatur de expeditione nostra, ut exultare prope videretur, subinde dicens, semper se credidisse majestati vestrae de missione oratorum, et quam mirifice id ei placuerit, ut Transsylvani, et Themesiensis passae mendacia etiam principi suo innotescerent, qui perpetuo assecurabant, caesaream

majestatem vestram clam parare exercitum, quodque nihil minus cogitaret, quam de mittendis oratoribus et honorario munere.

Meminit etiam sponte sua de certissimo obitu Transsylvani, sed paulo post subjunxit, quod adhuc viveret, satis tamen infirmus, oppressusque paralysi. Adjunxitque quod Svenda ad Tibiscum excubaret et intenderet in illius obitum, quasi innueret, existimare se, quod majestas vestra ea occassione meditaretur aliquid de Transsylvaniae recuperatione. Respondimus: majestatem vestram ita rem pacis hujus animo esse complexam, ut legatis ad suum dimissis principem, nihil esset armis tentatura etiam si quid cogitaret de Transsylvania, sed amicabilibus conditionibus cum ejus magnitudine; essetque illi utilius quam si aliquis novus homo intruderetur. Verum quod de his nihil nunc ad dicendum haberemus.

Invehebatur quoque saepius in eundem Transsylvanum et Themesiensem passam, qui mentiebantur, exercitum majestatem vestram parare. Ubi diligentius eum informavimus et de 300 peditibus Lincii conscriptis et quae de Germanicis copiis apud eos conficta fuerant, dicentes: nulla nunc alia cura majestatem vestram esse occupatam, quam pacis, quo populis afflictissimae Hungariae daretur jam tandem aliquando certa, constansque et firma tranquillitas.

Plura quoque alia inciderunt communia, sed haec visa sunt nobis esse notabiliora, quae ad caesaream majestatem vestram perscribere humillime voluimus. Quam Deus omnipotens conservet quam diutissime felicem et incolumem. Budae 12. Julii 1567. Agriensis et Teuffenpach.

XVII.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián.

1567. jul. 17. Reverendo Antonio Verancio episcopo, ac egregio Christophoro a Teuffenbach in Maerhoffen, consiliariis et oratoribus nostris Constantinopolin destinatis, fidelibus nobis dilectis.

Verancsics kezével: Redditae in Novo-Pago in initio Thraciae 6. Augusti 1567.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc.

Reverende, et egregie, fideles nobis dilecti. Ad instantem spectabilis et magnifici Mustaffae passae Budensis petitionem: ut eum apud serenissimum principem suum pro permittendo eidem diutius passatu Budensi clementer commendare dignaremur, committimus vobis clementer: ut si fortasse nostram apud principem Turcarum commendationem ei non nocituram animadverteritis, principi ipsi, nacta opportunitate exponatis, passam ipsum in pacis negotio diligentem se promotorem exhibuisse, alioquin etiam ita sese gerere, mutuamque tranquillitatem ita colere, ut eum facile tolerare possemus; proindeque nobis futurum admodum gratum et acceptum, si moderna praefectura sua non privabitur, sed in ea diutius permittetur. In eo clementi voluntati nostrae satisfacturi. Datum Posonii die decima septima Julii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae

quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m p. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium Fieringer m. p.

XVIII.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián.

Reverendo, ac nobili, fidelibus nobis dilectis, 1567. jul. 22.
Antonio Verancio, episcopo Agriensi, ac Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, nostris consiliariis et oratoribus ad imperatorem Turcarum ablegatis.

Verancsics kezével: Redditae in Tatar-Pazarchyth 7. Augusti 1567.

Reverende, ac nobilis, fideles nobis dilecti. Redditae nobis fuerunt binae litterae vestrae, quas Budae duodecima die vertentis mensis ad nos dedistis, unde cognovimus, quae nobis eousque in isto legationis vestrae initio occurrerunt: neque potuimus committere, quin vobis super iisdem benignam mentem nostram per hasce litteras significaremus.

Itaque imprimis gratiose probamus, ex quo praefectus Strigoniensis vobis non fecit potestatem secum familiariter colloquendi, quod ei destinatum munus non dederitis, sed potius alteram cuppam nomine nostro donaveritis ministro illi primario spectabilis et magnifici passae Budensis, in litteris vestris nominato, ut, qui nobis in hoc pacis negotio, et procuranda deligenti induciarum observatione bonam videatur operam navare posse.

Deinde probantur etiam nobis perbenigne quaecunque vos cum dicto passa egisse scripsistis, qui cum multis jam argumentis sese ostenderit humanum, tractabilem et pacis ac quietis valde studiosum, no-

bis, sicuti nuper scripsimus e consilio nostro bellico, gratum foret, quod in praefectura illa Budensi, quam modo obtinet, in futurum quoque maneret, vobisque proinde nunc rursus benigne et expresse injungimus, ut quatenus vos etiam, et collega vester, nobilis, fidelis, nobis dilectus Albertus de Wyss, id expediens et consultum fore judicaveritis, apud serenissimum imperatorem Turcarum, et illustrissimum ac magnificum Mehmeth supremum serenissimi Turcarum imperatoris consiliarium, vel ubicunque opportunum erit, verbis nostris instetis et petatis, ne praefatus passa Budensis, ut cui confidamus observationem induciarum et pacis majori, quam cuipiam alteri, curae esse futuram, alio transferatur, sed in hac praefectura in posterum etiam relinquatur.

Gratum itidem nobis est, quod idem Budensis passa nuncium quendam ad nos expedire decreverit, ideoque pro illo per praesentem postam, quas petiit, publicae fidei seu salvi conductus litteras mittimus.

Quod autem allatum fuit ad dictum passam de congregatione quorumdam capitaneorum nostrorum cum non exiguo militum numero apud Papam, et apparatibus etiam ac progressu comitis Eggii a Salmis supremi nostri capitanei Jauriensis, de eo vos scire volumus, congregationem ejusmodi non fuisse offendendi gratia institutam, sed tantum propter defensionem subditorum nostrorum, siquidem constans fama percrebuerat, sanziackum Albensem, contractis copiis, aliquid hostilitatis contra ditionem nostram moliri, cujus conatibus, ut comes ipse pro ratione officii sui obsisteret, ditionemque nostram, ubi opus esset, propugnaret, copiis coadunatis egressus est, eademque opera tunc etiam Vesprimium et Palotham

divertit, ut, quae in iis locis essent necessaria, curaret atque disponeret. Inde pacifice et sine offensione ad stationem suam reversus. Equidem non patiemur, ut ex nostra parte quicquam moveatur vel suscipiatur, quod induciis et amicitiae ac bonae vicinitati repugnet, modo ex altera quoque parte idem fiat et observetur. Quod in ista Porta nomine nostro firmiter polliceri poteritis,

Quod reliquum est, vobis caesaream gratiam et benignitatem nostram deferimus. Datum in arce nostra Posonii die vigesima tertia Julii anno Domini M. D. LXVII. regnorum nostrorum, Romani V. Hungarici III. Bohemiae vero XIX. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XIX.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad sacratissimam caesaream majestatem.

Humillime edocturi sacram caesaream majesta- 1567. aug. 4.
tem vestram pro debito nostro officio, de cursu nostri itineris ac nostro statu, clementer sciat, nos die prima Augusti Sophiam venisse, quae civitas Dardaniae sive Bulgariae metropolis est: comitamurque ubique passae Budensis hominibus, quadam in parte etiam sumptibus juxta morem illis solitum. Honoramur quoque in omnibus locis majoribus civium sive sphahiarum equestribus, cohortibus et videntur omnes communiter paci huic gratulari, quia certe ipsi etiam praeter victoriam nihil sunt lucrati, quod eis multis hominum et jumentorum mortibus non constiterit,

neglecta insuper domi re familiari, non secus atque apud nos neglecta est; unde fit, quod populi hujus principatus bellum omnino aversantur. Caeterum esset jam nobis non exigua rerum silva, de quibus ad caesaream majestatem vestram possemus scribere, sed prohibemur inopia certi tabellarii. Nunc itaque pauca haec sufficient, nimirum ut de nobis benigne intelligat.

Neve eandem celemus de nostra incolumitate, cupidi primum obedire vestrae caesarae majestati, deinde ostentantes, nos non adeo esse invalidos ad tantam provinciam, ingressi iter terrestre, semper a nocte media ad meridiem et saepius interdum etiam ultra continuato cursu, sub ardenti aestu caniculae, ut taceamus de reliquis defectibus. Jam a diebus sex ambo aliquid febrium habuimus, sic ut coacti sumus biduum hic subsistere, donec usi opera medici rediremus in pristinum sanitatis, nec tamen est adhuc ullum periculum, quandoquidem jam sentimus remediorum utilitatem, crasque divina bonitate volente iter nostrum prosequemur.

Reliquum est: Ajunt hunc principem magnopere studere paci et undique ejus nomine legationes invitari Quamquam jam plures advenerint, exspecteturque quam plurimae, adhuc tamen dubitatur de Persica; Veneta incommodissime, immo inciviliter tractata est, sicut dixit nobis homo, qui tunc cum ea fuit, vulgaturque publica conjectura, quaerere Turcam nodum in scirpo cum ipsis Venetis, ut eis bellum moveat contra Cyprum, et propterea nunc etiam dicitur valde maturare classem. Neque plura hoc tempore, nisi ut clementer nobis caesarea majestas vestra dignetur ignoscere quosdam commendantibus; quod

non faceremus, nisi rogati cogeremur. Deus Optimus Maximus sacram caesaream majestatem vestram diutissime servet incolumem et felicem. Sophiae 4. Augusti 1567. Agriensis et Teuffenpach.

XX.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad sacram caesaream majestatem.

Heri, cum pertransissemus montem Rhodopen, 1567. aug. 8
et venissemus ad pagum Novovilla dictum, zausus passae Budensis assecutus est nos cum ejus et sacrae caesareae majestatis vestrae litteris decima septima Julii datis. Hodie cum pervenissemus ad oppidum Tatar-Pazarcyth, quod distat a Philippopoli quatuor milliaribus, supervenit ejusdem passae alius cum sacrae caesareae majestatis vestrae litteris vigesima tertia die ejusdem mensis datis. Quae litterae utraeque magnam certe voluptatem attulerunt, quod indicaverint nobis, recte se istic apud caesaream majestatem vestram haberi omnia. Faxit Altissimus ut in dies semper meliora audiamus. Vicissim majestas vestra caesarea dignetur clementer scire, nos quoque hactenus prosperos, et sine ullo incommodo magno alioqui cum honore et officio huc esse perductos, caeterum nos nihilominus urgemus iter, et audimus missos esse nobis obviam aliquot ex spahioglanis, qui nos jam ulterius pluribus locis dicuntur excepturi. Quod signum erit majestati vestrae caesareae, nobiscum honeste agi.

Quantum autem ad litteras sacrae caesareae majestatis vestrae attinet, non putamus esse necesse

pluribus respondere, nisi plurimum laetari nos ex quinis nostris ternas esse restitutas, nosque omnem operam daturos, uti, quoad ejus fieri poterit, modernus passa Budensis retineatur Budae. Meminerimus etiam, quod erit nobis agendum contra querimonias, quae falso intenduntur, ubi locus et usus postulabit. Verum est, clementissime imperator, quod isti capitanei finitimi non possint sibi temperare a praedis faciendis, sed, si majestas vestra caesarea vult tandem conquiescere ab hujusmodi, maxime hoc tempore, sacrae majestati vestrae humillime supplicamus, ut clementer mandare dignetur, quo promulgata edicta strictissime et serio observentur. Deus Optimus Maximus diutissime felicem et incolumem conservet. Ex oppido Tatar-Pasarcyth VIII. Augusti 1567. Agriensis et Teuffenpachius.

XXI.

Veranesics és Teuffenpach utazásuk Pozsonytól Konstantinápolyig.

1567. jul. 1.— aug. 22. 1567. Ratio itineris in Turciam facti per Danubium.

Julii die primo Posonio: 10 milliaria.
IX. Comaronio: 5 milliaria.
X. Strigonio: 8 milliaria.
XIII. Buda: 5 milliaria.
Raczkewy: 5 milliaria.
XIV. Fewldwar: 3 milliaria.
Pax: 6 milliaria
XV. Tolna: 5 milliaria.
Baja: 1 milliare.
Zeremlyen: 6 milliaria.

XVI. Weresmarth: 8 milliaria.

Ostium Dravi fluvii: 2 milliaria.

Erdewd arx: 4 milliaria. Fluvius Valpo, unde incipit Syrmium.

XVII. Walkowai arx: 2 milliaria.

Atthyawar, indigenis Otthyn, arx diruta: 1 milliare.

Wylak, indigenis Illok, arx: 2 milliaria.

Hic incipit mons Almus, quem indigenae appellant Frusca Gorra.

Banmonostra, indigenis Banowczy appellatum, arx destructa: 1 milliare.

Cherwgh arx destructa: 1 milliare.

Kamonecz, turris vetustae arcis sine incolis: 4 milliaria

Varadinum Petri: 1 milliare.

XVIII. Karom, indigenis Karlowczy dictum: oppidum magnum et frequens: 3 milliaria.

Zalonkemen, arx et oppidum, indigenae rasciani vocant Zlanikamen, hoc est: salsus lapis.

Zemlyn: 4 milliaria. Ubi exacta die 19. venimus Belgradum.

XX. Belgrado movimus et venimus ad castellum Grodzka per 4 milliaria.

XXI. Ex Grodzka venimus Samandriam: 4 milliaria.

XXII. Ex Samandria venimus ad pagum Clenowacz: 4 milliaria.

23. Ex pago Clenowacz venimus ad pagum Bathyczna per 8 milliaria.

24. Ex Bathyczna venimus ad Jagodnam oppidum pransuri, per 3 milliaria.

Ex Jagodna, coenaturi venimus ad oppidum Parathyn per 2 milliaria.

25. Ex Parathyn venimus ad pagum Bolywan, 6 milliaria.

26. Ex Bolywan venimus ad oppidum Nys olim Nessum per 5 milliaria.

Ibidem 27-ma quievimus.

28. Ex Nys venimus ad pagum Clyzzuricza, saltu Kunovizae trium milliarium superato, acclivi et difficili, per 5 milliaria.

29. Ex pago Clyzzuricza mox ingressi saltum Szuha Clyzzura appellatum, bene duum milliarium longum, altum et lapidosum; venimus ad oppidum Pyroth, sub monte Haemo situm, vetusta arx est despotorum, per 3 milliaria.

Et ab eo via strata est, opus antiquum, quod indigenae Trajanum appellant.

30. Ex Pyroth venimus ad pagum Kollatin, per 3 milliaria.

Supra quem uno milliari in monte Haemo, quem Ztaram Planinam vocant, oritur amnis Nessus ad pagum Godecz. Qui Nessus a meridie in septemtrionem vectus, duos saltus Zuham Clyzuram et Kunovizam effusos a monte Scardo secat, Pyrotum alluens. Inde per plana lapsus influit in oppidum Nessum sive Nys, tandem non multo ultro incidit in Moravam paulo infra vetustam ac desertam arcem, Kopren appellatam. Morava autem, Mosthius antiquis dictus, trahit ortum ex Novo-Bardo, Latinis, Novus Mons appellatus, alluit et Scopiam, et pluribus amnibus receptis, per mediam superiorem Mysiam it, et paulo supra Samandriam in Danubium emittit, emisso ex se ramo uno, indigenis Jessava nominato, qui

muros Samandriae attingens, ibidem Danubio miscetur.

31. Ex pago Collatino mox ab ipso hospitio ingressi tertium saltum, Irsevicza nuncupatum, venimus ad pagum Bilicze: 4 milliaria.

Augusti prima. Ex pago Bilicze venimus Sophiam per 2 milliaria.

Ibidem propter aegritudinem utriusque oratoris exegimus dies 2. et 3.

4. Ex Sophia venimus ad Bela Czrekva via montana per 4 milliaria.

5. Ex Bela Czrekva pago venimus ad campum Jetimam sub Rhodope saltu et quievimus in pago Stipos per 2 milliaria.

6. Ex pago Stipos venimus ad Novum-Pagum per saltum Rhodopen: 5 milliaria.

7. Ex Novo-Pago venimus ad oppidum Tatar-Pazarczyth per 2 milliaria.

8. Ex Tatar-Pazarczyth venimus Philippopolim per 4 milliaria.

Et ibidem transito amne Neso seu, Maricza ponte ad ipsum oppidum, idem Nesus latius a via publica in sinistram evagatus est et triduo illum non vidimus.

9. Ex civitate Philippopoli venimus ad pagum Konyws per 3 milliaria.

10. Ex pago Konyws venimus ad pagum Kajaly per 3 milliaria.

11. Ex pago Kajaly venimus tota nocte per sterilem campum imprimis, Zumzgiova dictum, deinde per Derventhavraly, ad pagum Havraly per 8 milliaria.

12. Ex pago Havraly, ultra quem paulo post

apparuit nobis Nesus, venimus ad Muztaphae-Pontem per 3 milliaria.

13. Ex Ponte-Muztaphae movimus et venimus Hadrianopolim per 3 milliaria.

Ubi fluvius Tuncza veniens ab ortu, Harda vero a septemtrione, in initio ad pontem coeunt simul, et sub ponte lapsi incidunt in Nesum, qui ab ipsis civitatis sepibus in Aegaeum una cum Orbello reflexus, eidem mari mergitur.

14. Quievimus ibidem.

15. Hadrianopoli movimus et venimus ad pagum Awsa per 3 milliaria.

16. Ex pago Awsa movimus et venimus ad pagum Babaezky per 4 milliaria.

17. Ex pago Babaezky movimus et venimus ad pagum Bergaz per 2 milliaria.

18. Ex pago Bergaz venimus ad oppidum Cyurly per noctem totam, 6 milliaria.

In medio praeteriimus primum Karizteram pagum, deinde fluvium Hebrum, perexigua aqua nixum, Graecis Ergene, immo et Turcis dictum

19. Ex oppido Cyurly venimus Selymbriam civitatem per 5 milliaria.

In cujus spatii medio Melanis fluvius fluit ex Haemo monte, indigenis Arably nuncupatus.

20. Ex Selymbria venimus ad Pontem-Magnum, Turcis Bywkczekmegze dictum, per 5 milliaria.

Quo loco sinus maris est ponte praefato junctus et Athyra fluvius ex Haemo mixtus aquis dulcibus.

21. A Ponte-Magno venimus ad Pontem-Parvum per 3 milliaria.

22. A Ponte-Parvo venimus Constantinopolim per 2 milliaria.

(Finis Karpati montis, quo loco jungitur Danubio, eoque divisus vi aquarum, cataractas facit crepidinum plus 60., vocaturque ab indigenis Halimaska.

Haeque cataractae, Glinta indigenis dictae ab asperitate, sunt inter Golubacz sive Galombocz et Cladovo olim, nunc Novigrad appellatum, quod Turcae construxerunt Siverino destructo.

Nec multo infra ad Siverini rudera apparent pilae in Danubio pontis Trajani.

Quo autem loco sunt cataractae, Karpatus dirimit Transalpinam Valachiam ab Hungaria ditionis Themesvarinae et Karamsebesi.

Ex opposita ripa mox incipit mons, indigenis Kuciaira appellatus, qui subito in magnam amplitudinem evectus, Haemo jungitur continuis jugis et excursibus. Quare ego hunc etiam Haemum appello, sed hactenus nemini perspectus. Sic ut non solum Thracius, sed et Mysiacus ac Dardanicus Bulgaricus haberi debet.

Nec bene Ptolomaeus videtur perspexisse cursum Scardi et Orbelli, quum Scardus Orbello junctus ait: Haemum Orbello jungi ubi jam in Thraciam venit. Quandoquidem is idem mons Haemus sive Kuciaira, surgens a Danubio, cursum suum mox Haemo Thracico jungit, a sinistra manu pergentium Constantinopolim. Orbellus vero dextra, accipiens in se Scardum ad Ciabrum amnem, nunc Izcarem nuncupatum, recta Hadrianopolim cum Neso seu Mariza fluvio tendit, indeque divertens, incidit cum Neso simul in Aegaeum mare. Sic hoc loco consulendum est Ptolomaeo.

Pertransito amne Izcare, veteribus Ciabrus dictus, qui fluit ex oppido Zamokovo vocato, dirimit-

que Scardum montem ab Orbello, hiisdem in locis hic Cuissava, ille Vitossa nominatus, iter est ad Bilizzae pagum.)

XXII.

Verancsicsnak, Wyssnek és Teuffenpachnak Maximilián császár.

1567. aug. 30. Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis.

Verancsics kezével: Redditae 12. Octobris 1567. Constantinopoli.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles nobis dilecti. — Accepimus litteras, quas tu Agriensis, et tu Christophore a Teuffenpach Belgrado decima nona Julii, atque ex oppido Tatar-Pasarcyth octava exeuntis iam mensis Augusti ad nos dedistis, et benigno gratoque animo intelleximus, quod iter vestrum tam gnaviter ac sedulo promoveritis, confidimusque, vos jam pridem Constantinopolim pervenisse, atque tractationis vestrae bonum initium fecisse, de cujus statu atque progressu cupimus primo quoque tempore certam notitiam capere.

Quae vero nobis ad vos rescribenda occurrunt, haec sunt: quod, sicuti per litteras vestras ex Buda ad nos datas ostendistis, spectabilis ac magnificus

passa Budensis ad nos miserit nuncium suum Kwrth aggam cum muneribus quibusdam pro auspicato amicitiae et bonae vicinitatis inter nos et serenissimum imperatorem Turcarum contrahendae signo, contestatus insuper sincerum, atque ad inducias servandas, tuendamque et fovendam hinc inde concordiam et quietem publicam propensum animum suum, petendo, ex quo Hungari aegerrime possint ab exercendis rapinis contineri, ut, remotis ipsis, loca finitima praesidiis Germanicis firmaremus, conquestus imprimis de capitaneo nostro Agriensi, ut, qui induciis nullo modo satisfaciat.

Ad quae nunciata illius respondimus atque renunciavimus ea, quae in adjunctis scriptis continentur. Cum autem incertum sit, utrum dictus passa, quamvis alias se ad observationem induciarum, pacemque et tranquillitatem publicam hucusque satis propensum declaraverit, velit aut possit ejuscemodi postulatis nostris, quae non solum in litteris nostris, quas nunc illi scribimus, continentur, sed antehac quoque ad eum perferri curavimus, per omnia satisfacere, et efficaciter providere in iis, quae nos ex parte Turcarum contra inducias committi praetendimus, et praesertim, quae quotidie in finibus Croatiae ac Sclavoniae, nec non Transsylvaniae ab adversa parte attentantur: (nolumus enim vos latere, quod praefecti Transsylvani aperte profitentur, se a domino suo in mandatis habere, ut dominia Banyam, Chech *) et Erdewt sibi vendicent, id, quod proximis diebus reipsa quoque, nempe exactione decimarum comprobarunt, quas cum praefecti et milites Transsylvani nuper violenter ex villis ad Chech pertinen-

*) Csehvár, nem Ecsed, mint Miller hivé,

tibus auferrent, non obstante, quod a nostris placide requisiti fuissent, ut desisterent, quin etiam armis nostros repellere conarentur, ad manus ventum est, ita, ut ex Transsylvanis nonnulli capti, nonnulli vero vulnerati et interfecti fuerint) idcirco non abs re duximus, vobis quoque haec omnia communicare, ut isthic etiam agatis et instetis, quo ipsiusmet serenissimi Turcarum imperatoris authoritate talibus gravaminibus ac innovationibus finis imponatur, novaque mandata desuper a serenissimo Turcarum imperatore obtineatis, scilicet, ut induciae sancte et inviolate observentur, ac interea dum isthic per vos de rebus omnibus juxta instructionem a nobis acceptam transigetur, villae omnes, quae eo tempore, quo convenit inter nos et serenissimum Turcarum imperatorem arma utrinque deponi, et inducias hinc inde consitui, non fuerunt Turcis tributariae, nunc quoque nihil solvant, aut contribuant, neque metu aut vi subjugentur, sicut multis in locis fieri consuevit. Item, ne nova subinde castella exstruantur, prout exstrui feruntur in Bathyan, Zegesd et alibi, et atque etiam ad Zabadka *) futurum perhibetur, qui locus per nostros in bello exustus fuit, et si modo repararetur, posthac receptum, ut antea, praedonibus, multisque dissensionibus et difficultatibus materiam subinde subministraturus esset. Imprimis vero curandum et elaborandum erit, ut Transsylvanus jubeatur prorsus abstinere a dominiis nostris Chech, Erdewt et Banyae, siquidem Banya cum superioribus mensibus, quo tempore jam inter nos et serenissimum Turcarum imperatorem per litteras convenerat de armis deponendis, induciisque servandis, Transsylvano eam

*) Hontban volt.

oppugnante, incensis infortunato casu, prout etiam ad Küewar contingerat, pulveribus tormentariis, ac disjecta et eversa munitione, in manus illius incidisset, mox armata manu per copias nostas recuperata fuit, ita, ut neque hujus, nec aliorum antedictorum locorum ac pertinentiarum possessionem ullam ipsi Transsylvano relinquere cogitemus.

Similiter Bosnensi quoque sanziacko, et caeteris Sclavonicorum finium praefectis, qui non cessant in partibus illis ditionem nostram infestare et depopulari, rursus firmissime mandari debebit, ut quiescant, induciasque melius, quam hactenus, observent, ne et illis par pari referendi necessitas nostris imponatur.

Quod porro in memoratis litteris vestris humiliter suasistis, ut denuo clementer mandemus promulgata edicta nostra de induciis non violandis strictissime serioque observari, id scitote a nobis jam factum esse, neque de caetero pro parte nostra quicquam praetermissuros, quod ad firmitatem induciarum et quietem publicam, cujus sumus studiosissimi, spectare videbitur, dummodo nobis ex altera parte eadem sinceritate respondeatur. Id quod vobis ad memoratas litteras vestras gratiose respondere voluimus. Datum in civitate nostra Vienna die penultima mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XXIII.

Ugyazoknak ugyanaz.

1567. sept. 1. Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis dilectis, Antonio, episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis.

Verancsics kezével: Redditae 12. Octobris 1567. Constantinopoli.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles nobis dilecti. Scriptis jam et obsignatis aliis litteris nostris, allata sunt alia quoque gravamina de violentiis, depraedationibus et hostilibus factis Turcarum, quibus inducias violare non desinunt. Quae praesentibus inclusa vobis transmittimus, ut ea una cum caeteris isthic proponatis, prouti eorum etiam nuncio passae Budensis, cras hinc discessuro, copiam fecimus. Datum in nostra civitate Vienna die prima Septembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XXIV.

A fegyvernyugyvás közben a törökök által elkövetett sérelmek.

Querelae ad sacratissimam Romanorum imperatoriam, ac Hungariae et Bohemiae, etc. regiam majestatem perlatae de variis injuriis ac violentiis, quae subditis atque militibus caesareae majestatis tempore praesentium induciarum illatae fuisse perhibentur. 1567.

Primum: Quod Turcici praefecti variis in locis dicuntur exstruere nova castella in detrimentum ac diminutionem ditionis caesareae suae majestatis, utputa: in Bathyan, Zegesd, et pluribus locis circa Agriam. Idem fertur eos in animo habere de Zabadtka castello, per milites sacratissimae Romanorum imperatoriae majestatis combusto et diruto, non obstante, quod juxta conventionem et conclusionem utriusque potentissimi imperatoris sub praesentibus induciis omnia in pristino statu manere, et tales innovationes minime fieri debeant.

Secundo: Deinde, quod sanziacki et praefecti Turcici passim in regno conantur ad deditionem et solutionem censuum ac servitiorum cogere villas, quae illis nec tempore, quo praesentes induciae initae sunt, nec antea tributariae fuerunt, sic nuper Achyan Baba Kakathiensis litteras dedit ad possessiones arcis Ghymes, Kolony et Syrak vocatas, quibus illas ad deditionem sollicitat cum gravissima comminatione.

Tertio: Beghus autem Hathwaniensis mense praeterito villam Tarkany ad Agriam pertinentem, quamvis Turcis tributaria non sit, bis tamen invasisse perhibetur.

Quarto: Idem beghus Hathwaniensis evectionem vini sacratissimae Romanorum imperatoriae majestatis pro educillatione, et laborum ad Agriam praestationem omnibus villis circum Hathwan existentibus admodum serio interdixit.

Quinto: Idem ipse beghus Hathwaniensis crudelitate sua oppidum Hewes, et possessiones Peel, Wezeken, Beo, Han, ac alias complures desertas reddidit.

Sexto: Praeterea de begho Zolnociensi allatum est, quod duos servitores officialium Cumanorum pro falcatoribus missos in captivitatem abduci fecerit, et omnibus Ultratibiscanis educillationem vinorum, et laborum ad Agriam praestationem interdixerit.

Septimo: Porro de Hazambego Strigoniensi praefecto querimonia est, quod licentiam dederit peditibus suis in ditionem Romanorum imperatoriae majestatis excurrendi, qui quidem milites Strigonienses ad diem quintam hujus mensis Augusti ex possessione Pograny, Nitriae vicina, quinque pueros masculos Strigonium abduxerint.

Octavo: Alias Strigonienses milites indesinenter quoque provocant milites Comaronienses ad duellum, dicentes, id sibi a spectabile et magnifico passa Budensi permissum esse.

Nono: Proxime praeteritis diebus Albenses filium Christophori Mager, militis Palothensis, ante portam arcis ceperunt et abduxerunt.

Decimo: Et quidam Iztran Kwrth, Albensis,

hisce dicbus inter Papam et Vesprimium prope Esegwar duos servitores et sex equos Petri Ormandy, vice-capitanei Palothensis, duasque mulieres ex insidiis adortus cepit et captivos abduxit.

Undecimo: Begus Kopaniensis die 13-tia Augusti ex Letha dedititia possessione tredecim personas abduxisse fertur.

Duodecimo: Ajunt etiam apud fortalitium Chyakan adhuc frequentissimas fieri excursiones.

Decimotertio: Alibegh Zigethiensis praefectus ad comitem Georgium de Zrinio, et subditos ejus Insulanos binas litteras dedit, quibus eos ad deditionem sollicitat.

Decimoquarto: Prohibent insuper Turcae colonos ultra fluvium Rynnae habitantes sacratissimae Romanorum imperatoris majestati census praestare.

Decimoquinto: In partibus Sclavoniae et Croatiae similiter multa quotidie a Turcis contra inducias fieri dicuntur, et in festo beatae Mariae Magdalenae numero mille equitum et amplius congregati sub Gora excursione facta, decem personas et septuaginta capita pecoris abduxerunt.

XXV.

Forgács Simon egri kapitány válasza a törökök panaszaira.

Responsum magnifici Simonis Forgach, capitanei Agriensis super querelis et gravaminibus Turcarum ipsi objectis. 1567.

Fatetur se animadvertisse in quosdam coctores salis nitri, sed jure id fecisse, quandoquidem nolue-

rint, ut debebant, dimidiam nitri illius partem ad Agriam convehere; quod si in posterum fuerint obsequentes, sicuti tenentur, eis ex Agria nihil periculi fore metuendum.

De nazadae submersione, et octingentis pecoribus Pestho abactis, id sub capitaneatu Simonis Forgach non accidisse.

Tabellarium beghi Mohachiensis per Agrienses interceptum esse, quia begus Hathwaniensis ex non tributaria possessione Ozthoros, dimidio milliari ab Agria distante, decem et novem personas, unum agasonem cum aliquot militibus abduxerit.

XXVI.

Folytatása a törökök által elkövetett sérelmeknek.

1567. In proxime praeterito mense Augusto ascenderunt Turcae per Danubium cum aliquot navibus, animo opprimendi et capiendi operarios sacratissimae caesareae majestatis in lapicidina quadam laborantes, sed propter milites, qui operarios custodierunt, non ausi sunt, institutum prosequi.

Eodem tempore alii quidem Turcae adepti naviculam, sumtis pileis Hungaricis, ne pro Turcis agnoscerentur, insidias posuerunt navigantibus in Danubio inter Jaurinum et Comaronium, factoque impetu in navim quamdam frumentariam, et occiso uno ex nautis, reliquos sex in suam naviculam transposuerunt atque captivos abduxerunt, navi frumentaria deserta.

Ex partibus Canysae nunciatum est majestati suae, quod Turcae in iis locis pessime observarent

inducias, sed fortalitia combusta, et desolata sedulo instaurare, ac ditionem Majestatis suae ultro flumen Rynniae prorsus occludere conentur, quo possint tanto facilius opprimere insulam Murae, Canysam et Komaron.

Praeterea vigesima quarta die Augusti duos beghos, collecto circiter trium millium equitum et peditum numero, excursionem fecisse sub Cakan, alios vero cum bombardis, falconetis et magno impetu fortalitium Sechen unam integram diem ac noctem vehementer oppugnasse.

Ex partibus Sclavoniae nunciatum est suae majestati caesareae, Turcas haud ita pridem similiter duas excursiones fecisse, unam versus Toppliz, alteram ad Kopreinitz; e quorum excursorum numero captus quidam fassus est, excursores illos emissos fuisse a Baly bego Posegiensi, sibique et caeteris suis commilitonibus de pace nihil constare, neque ipsis tales excursiones, quod sciat, interdictas esse.

XXVII.

Ugyanazoknak ugyanaz.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach, consiliariis nostris, ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis. 1567. sept. 8.

Verancsics kezével: Redditae Constantinopoli XI. Decembris 1567.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, semper augustus, etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles nobis dilecti. — Quoniam incertum apud nos est, utrum litterae nostrae, quas passae Budensi per nuncium ejus Kwrth aga, vocatum ad vos misimus, fideliter, certoque vobis reddentur nec ne, operae pretium duximus, vobis in omnem eventum exempla illarum per aliam quoque viam clementer communicare, tibique Alberto de Wyss insuper significare, quod tuas etiam litteras, quas undecima Julii ad nos dedisti, acceperimus. Ad quas quidem non habemus, quod respondeamus, nisi, quod nobis sint curae futura ea, de quibus nos in iisdem humiliter, fideliterque admonuisti, et quod ejusmodi praeclara fides ac diligentia tua nobis sit gratissima, quam etiam propensi sumus omni gratia et benignitate nostra caesarea erga te quandoque recognoscere. Datum in civitate nostra Vienna die tertia Septembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser, m. p.

XXVIII.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad sacratissimam caesaream majestatem.

Peracto nostro itinere, postquam Buda recessi- 1567. sept. 18.
mus intra dies XL. non sine magna injuria caniculae et quibusdam aliis difficultatibus, ut fit per regiones tam vastas, desertas ac nulla fere humanitate praeditas die tandem XXII. Augusti Constantinopolim pervenimus. Quo tempore quia hic princeps jam in procinctu erat, venatum aucupatumque, proficiscendi, nosque etiam admodum de via fessi, et quietis nonnihil indigi, sic tandem evenit, ut et principe citra aliam moram ad solatium suum profecto, et nos diebus circiter sex quieti nostrae obtentis, vigesima octava et vigesima nona passas cum salutatione et muneribus adiimus, tres nimirum potiores die priore, posteriore vero reliqnos tres, servato ordine eorum graduum.

Inde intenti in regressum principis, qui de die in diem differebatur, factum est, quod ab appulsu nostro Constantinopolim ad caesaream majestatem vestram nihil scripsimus, exspectantes, ut uberius haberemus, quod ad eandem scribere possemus. Nunc jam quia idem princeps cum apparatu circiter sex millium hominum, decima quinta Septembris in urbem rediit, nobis eo ipso die passa significavit, essemus parati, quia apud eundem principem proximo

die dominico audientiam nobis obtinuisset; quam quidem ubi Deo bene juvante absolvemus, tractatum legationis nostrae aggrediemur, et quanto crebrius poterimus, caesaream majestatem vestram de omnibus, quae inter tractandum nobis inciderint, omni conatu nostro edocere adnitemur.

Duabus autem audientiis, quas apud supremum passam habuimus, obiter et tumultuarie non pauca attigimus, ipso materiam suggerente et imprimis de diruendis arcibus, Agria, Tatta et Vesprimio, post de Transsylvania ac de Hungariae partibus eidem Transsylvaniae adjacentibus, tum de ponendis limitibus in regno, facta divisione colonorum. Et demum de rationibus honorarii muneris. Ubi fere toti parti nostrae instructionis primae perquam (uti putamus) cumulatissime satisfecimus, quemadmodum proximis literis nostris, quas non ita multo post ad caesaream majestatem vestram, forte fortuna per proprium veredarium mittemus, singillatim et suo ordine omnia, quaecunque et qua serie, a primo in hanc urbem ingressu nostro egerimus, perscribemus.

Interim tamen duximus esse necessarium, ut caesarea majestas vestra summarie clementerque intelligat, immutasse nos de munere triginta millium aureorum instructionis nobis datae rationem, habita autem maxima consideratione existimationis et commodi vestrae caesarce majestatis. Nam et in itinere et hic Constantinopoli ab hominibus generis Turcici non postremi, idque ab aliis studiose, ab aliis vero quasi aliud agentibus astute interrogati, munusne honorarium, aut tantummodo simpliciter munus attulissemus huic principi? Quorum quaestionibus alienis responsionibus elusis, eas nos altius consideravimus,

deductisque etiam in consultationem plurium dierum, tandem reperientes, quod si eadem triginta millia aureorum exhiberentur nomine muneris gratulatorii juxta instructionem nobis assignatam, sequutum fuisset illud, quod et debitum munus honorarium jam decursi temporis, aut digne aut indigne exigere incepissent, actis pro hoc praesenti communibus duntaxat gratiis. Et non pauca etiam vulgi scommata pertulissemus, maxime, si tam magno et insolito munere exhibito, caesareae majestati vestrae ad ea non respondissent, quae ex hac sua caesarea liberalitate excelsique animi magnitudine sibi polliceri videbatur. Quas humanitatis ac nobilitatis partes, quum Turcae non agnoscant, et extorqueant debita non minus vi, quam petulanter (quod vel proximis duobus annis vidimus), decrevimus tandem eadem triginta millia aureorum, nomine muneris honorarii exhibere, modis et rationibus reliquis in instructione nobis praescriptis, ut caesareae majestati vestrae et a damno et ab aliquibus aemulorum, malorumque hominum scommatibus caveremus. Jamque et passae diximus, attulisse nos triginta millia aureorum in taleris nomine muneris honorarii, quod tantopere petebatur, et munus gratulatorium, cuppas atque horologia. Et quantum ex vultu et sermone ejus potuimus, laetis haec illum auribus excepisse perspeximus, quemadmodum et de hoc aliis litteris nostris uberius prosequemur, quo etiam peculiaria, quae hic nobis contingunt, caesareae majestati vestrae sint nota, supplicantes interim humillime, ut, si in hoc licentiosius quippiam commiserimus, clementer ignoscat fidelitati nostrae, qua et commodis et dignitati ejus sedulo studere contendimus.

Ad alia vero quod attinet. Orator Galli, qui est hic, die decima mensis hujus adiens supremum passam, effutiit apud eum quasdam res non extremae considerationis, et primum accepisse se a rege suo mandatum, ut caesareae majestatis vestrae cum hoc principe pacem totis viribus impediat, et si non poterit impedire, finemque omnino sortietur, enitatur saltem pari conatu, ut ipse etiam rex ejus in ea comprehendatur. Dixit quoque, brevi futurum, ut inter Christianos ingens bellum exardescat. Addidit etiam: velit classem regi suo ab hoc principe impetrare, ut conjugio haeredis Anglicae cum serenissimo archiduce Carolo interturbetur. Quia si forte concludetur, nimis in magnam potentiam evadet domus Austriae, sic ut etiam incrementa rerum hujus principes impediantur. Ad haec passa respondit: Utinam inter Christianos vestros bellum, quod ajis, exardescat; caeterum principem suum hoc tempore inclinatum esse ad pacem; etiam de ea verbum dedisse; nec hactenus ullam utilitatem illis provenisse toties Gallis classe commodata. Regem quoque eorum maximis seditionibus in regno suo laborare, nec posse suos comprimere; et si tantopere bellum externum cupiat, Philippo regi arma moveat. Ipse etiam non omittet amicitiam illi apud principem suum declarare, si res omnino ad bellum spectabit. Alias curaturum quoque suo tempore, ut in hac caesareae majestatis vestrae pace, si fieri poterit, comprehendatur.

Haec eo ferme biduo omnia in vulgus effluxerunt, quo sunt allata et acta apud passam, quae quum ad nos etiam statim pervenissent, oratorem admodum poenituit, quod secretius tanti momenti res non presserit, laboravitque apud nos secretario in-

ternuncio, ne isthaec crederemus. Cui officiose responso dato, curavimus persuadendum illi de nobis omnia, quaecunque ab amicis exspectantur, maxime quorum principes et affines essent, et pacem mutuo fraterne colerent. Haec tamen, quae super his scribimus, idem orator aut habuerit a principe suo mandatum, aut non habuerit, tamen in hunc modum loquutus est passae, apud quem nobis etiam sunt homines, qui in talibus nobis referendis non fallunt nos.

Praeterea, quum in prima audientia cum passa loqueremur de quibusdam statibus, qui huic principi commodo suo assentarentur, nec vererentur reliquis Christianis officere, dum sibi prosint, et sermo de Gallis et de Venetis habebatur, subjunxit passa, nobis appellatis: nec Venetos admodum vobis esse amicos, propensosque commodis vestris. Quae qualia sunt, existimamus, melius majestatem vestram caesaream judicaturam, quam nos; ipsi tamen pessime sunt apud hos, estque maximus et creberrimus sermo, classem hinc in Cyprum adornari, nisi aliqua via tempestive rebus suis prospexerint. Quamquam et de Melita et de Guletta multi sunt rumores, omnes tamen in Cyprum opinionibus suis concurrere videntur.

De hoc autem principe, quoad ea quae hucusque de eo asequuti sumus, ajunt esse tenacem et cumulandis pecuniis omnem curam adhibere, cavereque a sumptibus quam maxime. Nec tam bellis quam pacis studiis inclinatum omnes esse affirmant, unde ingenio mitem et moribus quietum omnibus sese exhibet. Quaecunque alia de caeteris ejus partibus cognoscemus, caesaream majestatem vestram edocere non praetermittemus. Illud adjecto, quod omnes nos bona spe esse jubent, nimirum exoratores futu-

26712

ros. Quod ut faxit Deus, oramus. Duas tamen timemus difficultates: de diminutione muneris honorarii, et de liberanda ditione Tibisco et Transsylvaniae limitibus interjecta. Contendemus tamen et divina ope et humanis viribus, ut, quoad ejus fieri poterit, eventu, quem optamus, potiamur, quemadmodum jam non levia de postremo jecimus fundamenta, imbuto supremo passa, immo et aliis, ut efficiant: contentetur Transsylvanus limitibus Transsylvaniae, et cedat aliis, quae Hungariae sunt, et ejus nomine nuncupentur; sic demum certo fore, ut pax inter hunc principem et caesaream majestatem vestram firmius consistat, et diutius praeterea duret.

Praeterea nuncius Transsylvanus est hic, Sebastianus Erdely nomine, qui valde instat apud passam pro restitutione Tokay, Monkach, Banya et Zakmar; et ajunt passam dudum voluisse, ut reverteretur, et diceret suo domino: conquiesceret et sederet in pace, nec posse principem suum quot-annis ejus causa expeditiones in Hungariam ducere; melius rebus suis consulturus, si se in quiete continuerit, nec tumultuaretur. Nuncius tamen adhuc hic haeret, et ajunt, quod quum in primo divano erimus, diei scilicet proximae dominicae, venturus sit eo, et exclamaturus pro Tokay et pro aliis superius nominatis. Qui si venerit, curabimus, ut habeat dignum responsum.

Caeterum arbitramur, vix posse fieri, ut sine aliqua nova largitione non utamur, in negotio diminutionis honorraii numeris, et in retentione ditionis Ultra-Tibiscanae. Ideo humillime optamus informari, quid in hoc facturi simus, si ad hoc res pervenerit.

Nec de his latius scribere possumus, ut quae serio adhuc non tractavimus. Nondum tamen ulla in re quamcunque cum iisdem passis attigimus, vel duriores, vel omnino etiam contumaciter adversarios sese nobis ostenderunt. Pertavus visus est etiam favere quibusdam signis nostrae causae. Supremus gerit se graviter, nec ostendit, utri parti vel faveat vel adversetur. Sic tamen et loquitur et dimittit nos ab se, ut ab eo non abeamus tristes. Reliqui numerus sunt. Et Pyaly videtur habere plus in Christianos mali animi, quam in tantis rebus consilii. Faxit Omnipotens, ut quum ad discussionem rerum veniemus, bono a Deo spiritu inspirati faveant nostrae causae, et majestati vestrae caesareae vere sint amici ac eidem suffragentur. Quam Deus Optimus Maximus diutissime salvam, incolumem felicemque conservet. Constantinopoli 18. Septembris 1567.

XXIX.

Singkhmoser Márknak Verancsics.

Ad Marcum Cinkmoserum.

Quod serius ab appulsu nostro Constantinopolin ad caesaream majestatem, dominum nostrum clementissimum scripserimus, venatio hujus principis causam praebuit, quia interim nihil videbatur nobis esse scribendum, donec etiam apud magnitudinem suam audientiam habuissemus; ne tamen nimis diuturnum fuisset nostrum silentium, ante etiam principis audientiam has praemittere voluimus, ut utique aliquid caesarea majestas ejus interim de nobis habuis- 1567. sept. 18.

set. Itaque quum de his, quae hic aguntur, magnifica dominatio vestra largius acceptura sit ex caesaris litteris, sciet me magnis febribus laborasse a medio ferme itinere Constantinopolim usque, ibique quietem assequutus convaluisse, jamque non imbecilliter demandatae mihi legationi, cum dominis collegis meis, operam navo. At familia certe nostra etiam nunc magna ex parte cum hisdem febribus conflictatur, idque sit sic, ut ubi haec pars a morbo revaluerit, illa dejicitur. Nemo tamen adhuc aegrotavit cum periculo, praeterquam Saurerus. Speramus tamen quod omnes bene valebimus, ubi hoc caelum Thracicum et maritimum nobis conciliabimus. Quod reliquum est, magnificam dominationem vestram felicissime valere cupio. Constantinopoli 18. Septembris 1567.

XXX.

Verancsicsnak, Teuffenpachnak és Wyssnak Maximilián császár.

1567. sept. 19. Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis.

Verancsics kezével: Redditae Constantinopoli 12. Decembris 1567.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles nobis dilecti. — Accidit his diebus, quod nonnulli equites

ex arce Onod egressi in absentia, ut nobis quidem relatum est, capitanei ejus arcis, ultra Tibiscum profecti, impetum fecerint in oppidum Thwr, ubi tum pernoctabat chiaussius quidam serenissimi imperatoris Turcarum et nuncius illustrissimi ducis Joannis Sigismundi, serenissimi quondam regis Joannis filii Gregorius Bethlen ad limitationem faciendam inter ditionem Turcicam et Transsylvanicam deputati, in eaque oppressione Gregorium Bethlen interfecerint, chiaussium vero cum aliis quibusdam Turcis vivum ceperint, sicuti nobis nunciatum est primum a nostro consiliario et supremo exercituum nostrorum in superioribus regni nostri Hungariae capitaneo, Lazaro de Schwendy, et deinde a spectabile ac magnifico passa Budensi, qui opinatur id ab Agriensibus militibus nostris factum esse. Quod simul atque intelleximus, prout sane debuimus, vehementer commoti sumus. Quis enim inficias iret, haec et induciis et promissis nostris prorsus repugnare, quibus sane pro parte nostra tanto animi candore satisfacere studemus. Et quamvis equites illi factum hoc excusare conantur, eo, quod proximis diebus etiam castellanus Agriensis, non quidem in excursione aut depraedatione aliqua, sed in aucupio, dispositis ei per Turcas insidiis, non longe ab Agria cum aliis quibusdam Agriensibus militibus captus et abductus fuit, et quod Turcae quoque nusquam inducias recte servent, sed passim in confiniis incessanter atque impune omne genus injurias, violentias, rapinas et caedes perpetrant: nos tamen non contenti tali excusatione, omninó constituimus in milites illos, et praesertim auctorem hujus facinoris, et ductorem illorum serio animadvertere, jussimusque chiaussium il-

lum cum concaptivis ejus illico eliberari atque incolumes dimitti. Quia vero non dubitamus adversarios nostros, qui nihil magis optant, quam offerri sibi commoditatem disturbandae praesentis pacificationis, hoc factum e vestigio, maxima cum vociferatione, et quam fieri potuit, odiosissimis verbis ad portam serenissimi imperatoris Turcarum nunciavisse, et solitis quoque calumniis exaggerasse: existimamus necessarium esse, vos etiam a nobis hanc rem exacte cognoscere, ut, si quando vobiscum de hac violentia expostulari contigerit, possitis respondere et affirmare, nihil in hac parte nostro mandato, scitu, vel permissione factum esse, nec impune laturos, qui culpam sustinuerint, quin etiam chiaussium illum cum suis concaptivis absque mora, quamprimum scilicet mandata nostra ad dictum supremum capitaneum nostrum perlata fuerint, liberum et incolumem dimissum iri, nobisque in futurum quoque curae futurum, ut induciae pro parte nostra sincere ac firmiter observentur, et violatores earum pro demerito puniantur, dummodo idipsum etiam ex parte Turcarum eadem integritate fiat, sicuti futurum prorsus confidimus. Itaque procurare et instare debebitis, ut si res aliter isthuc perferetur, ejusmodi obtrectatoribus a serenissimo Turcarum imperatore, et illustrissimo ac magnifico Mehmeth passa nulla fides habeatur, sed potius huic nostrae benevolae informationi locus detur. Scripsimus etiam hac ipsa de re ad passam Budensem, sicuti ex adjecto exemplo cognoscetis. Id quod vobis suprascriptam ob causam clementer significandum duximus, vobis, quod superest, gratiam et benignitatem nostram caesaream deferentes. Datum in civitate nostra Vienna die de-

cima nona Septembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariae quarto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XXXI.

A császári felségnek Verancsics és társai.

Ad sacram caesaream majestatem.

Postremae litterae nostrae ex itinere ad majesta- 1567. sept. 25
tem vestram datae, illae fuerunt, quas Sophia Bulgarorum metropoli Petro Cyppico, nobili Dalmatae, civitatemque Fluminum hac tempestate incolenti, et conversanti in aula serenissimi archiducis Caroli commiseramus, easque majestati vestrae fuisse redditas, non dubitamus, quum confecto negotio cujusdam captivi, a quodam serenitatis ejus insigni aulico sibi demandato, in eandem aulam erat reversurus, curaturusque, ut haedem litterae nostrae ad caesaream majestatem vestram incolumes perferrentur.

Inde continuato nostro itinere, 22. Augusti Constantinopolim appulimus, excepti aulico equitatu satis honorifice, non tamen, uti nobis dicebatur, pro satisfactione principis. Quippe qui non una aut altera cohorte excipi nos voluerat, sed cum toto praetorianorum suorum grege. Nam eotunc inciderat dies Veneris, peculiare Turcis festum, quo templa sua visant, et vacant praecationibus. Accedente huc et incuria quorundam ministrorum, qui nos tempestive pro mandato supremi passae non admonuerant, ut in hospicio, urbi proximo exspectaremus Lucae crasti-

nam. Sic consequutum est, ut tumultuarie nobis ab ordinibus praetorianorum obviam prodiretur. Hinc excusationibus multis et variis tam passa, quam caeteri potiores, et interpretes principis usi, persuasum nobis esse contenderunt, principem omnino voluisse, ut quam honorificentissime pro dignitate majestatis vestrae exciperemur, nisi impedimenta, quae jam attigimus, praeter omnem opinionem ejus hoc institutum suum interturbassent.

Quum vero tunc et princeps forte fortuna venatum ire proposuerat, jamque in procinctu erat abeundi, et nos supramodum de via fessi, malignitateque caniculae admodum afflicti, jactatique etiam motu curruum per tam longum iter, brevi aliqua quiete cupiebamus refici, quum interim et munera ex vasculis eximenda, inque suos ordines dirigenda nobis erant: petitam ejusdem quietis facultatem obtinuimus, princeps quoque profectus est venatum.

Nos autem, eo iam absente, sex dierum spatio satis commode refecti, XXVIII et XXIX omnes passas vesirios, cujusque dignitatis gradu servato, adiimus. exequutique apud eos legationis nostrae primordia juxta praescriptum majestatis vestrae, et muneribus illis exhibitis, habuerunt nos et faventer et honorifice.

Intenti post in reditum principis, cui dies octavus praescriptus fuerat, nos quoque diutius a rebus vacui, similiter quievimus. Et interim quum vulgatum esset, principem distulisse in urbem reditum, passa supremus per Ibraimum interpretem significavit nobis, optare eundem principem intelligere, quidnam negotiorum attulissemus. Quare nunciaremus ei per eundem interpretem, quo principem edocere

posset de omnibus, quaecunque in mandatis haberemus.

Rati nos, convenientius esse, ut ea soli referamus, quam nunciemus, ducti etiam studio ac desiderio, eam instructionis nostrae partem commodius hac occasione exequendi, quae rationem muneris honorarii, jam decursi temporis et bello impediti, concernebat, agnovimus opportunitatem hanc valde esse idoneam, ut ipsum passam uberius instrueremus, quod elapsi anni 1565 munus honorarium minus digne exigeretur, quo tantopere arma illorum per Hungariam saevierint: renunciavimus, nosmet ipsos, quum illi commodum fuerit, ad eum esse venturos, et cum eo coram de postulatis ejus acturos. Quarta itaque die Septembris secundam audientiam, eamque privatiorem, quam primam, petentibus nobis, obtinuimus, quod secreto res nostras tractari curaremus.

Verum quo nomine XXX millia aureorum offerri debuerunt huic primcipi, juxta quod visum est nobis, quando huc appulimus et incepimus multa audire, quae videbantur majestati vestrae et damnum allatura, et dignitatem ejusdem perstrictura, si illa secundum praescriptum instructionis obtulissemus, hoc loco majestatem vestram caesaream humillime censuimus nobis esse edocendam.

Quum enim essemus adhuc in itinere, quidam ex comitibus nostris potioribus generis Turcici, quilibet seorsum perinde ac si aliud aliquid agerent, studium tegentes, interrogaverant nos: quidnam ferremus huic principi, munusne honorarium, an tantummodo simplex munus? Cujusmodi interrogationibus et Constantinopoli tentati sumus. Nec alia omnibus similibus curiosis dedimus, quam quod eos hoc scire

non attinebat, et cogniturum principem, quum accepisset, quod attuleramus.

His itaque interrogationibus in majorem considerationem et longe aliam perducti, quam ea erat, quaenobis ex instructione nostra ducebatur, et in qua dudum pro clementi deliberatione majestatis vestrae conquieveramus, rem quoque in altiorem consultationem proposuimus, ac per plures dies super hunc nodum desudavimus. Respicientes enim primum ad vim instructionis nostrae, a qua vel latum unguem recedere nobisnon licebat, deinde ad illa etiam omnia, quibus caesarea majestas vestra adducta, hoc ipsum munus gratulatorio nomine exhiberi mandaverat, sperans, uti conjicimus, quod ii liberalitate majestatis vestrae hujusmodi moti caeteris in rebus ejus essent futuri humaniores, faciliores et commodiores: verebamur omnino et ab instructione recedere, et a benigna majestatis vestrae caesareae voluntate quippiam committere alienum. Sed tandem victi justis rationibus, consultius atque honestius fore majestati vestrae caesareae si, dicta 30 millia aureorum nomine muneris honorarii exhiberentur, non autem gratulatorio, cui reliqua affatim erant suffectura, tot scilicet cuppae atque horologia: id in hoc fecimus, quod magis expedire putavimus.

Quia si eadem 30 millia aureorum gratulatorio nomine exhibuissemus, metuendum imprimis erat, quod actis gratiis pro tanto munere gratulatorio, coepissent (ut avarissimi et humanitatis prorsus ignari) etiam honorarium exigere, tamquam debitum, de quo tantopere fuerant solliciti, et illud mitti urserant. Quandoquidem hoc genus hominum nec civilitatis studia agnoscit, nec generosi animi movetur

munificentia. Sed quicquid pro tua virtute illi donaveris, peragit quidem gratias, debita non remittit. Quod facile futurum apparebat ex tantis interrogationibus, quae nobis fiebant de memorato munere.

Aliud quoque incidebat inconveniens, si eadem XXX aureorum millia gratulatorio nomine exhibebamus. Nimirum quod multa fuissent, et a Turcis et a Christianis ob tantam muneris magnitudinem in publico jactata, quae nomini, dignitati famaeque majestatis vestrae minus fuissent decora, idque ex eo maxime, si sic evenisset, ut haec XXX aureorum millia gratulatorio nomine fuissent donata, et alia honorarii muneris nomine mox reddi coepissent postulare: quantopere opinione nostra decepti fuissemus, majestas vestra per se se clementer consideret. Quum ad haec et eventu dubio experiri, quod optabamus et sperabamus, tantam pecuniam effundendo sine aliquo certo judicio et rei exitu, periculosum pariter et imprudentum oratorum esse duximus, quibus haud dubie mores atque ingenia bene nota erant.

Quare his atque aliis similibus super hunc nodum, quae huc facere videbantur, sedulo discussis, eadem XXX aureorum millia nomine muneris honorarii, quod exigebatur, Turcae exhibuimus, ut sic et tanta alterius summae jactura evitaretur, et nomini, dignitati, famaeque majestatis vestrae caesareae consuleretur.

Quam Deus Optimus Maximus diu felicem atque incolumem servet. Constantinopoli XXV. Septembris 1567.

XXXII.

Ugyanazoknak ugyanaz.

1567. sept 28. Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus, nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles dilecti. [Conquestus est, nobis magnificus fidelis nobis dilectus Nicolaus Doczy de Nagiluichia simul cum fratre suo Gabriele Doczy, qualiter filius ipsius Nicolai Franciscus in servitiis nostris militando, nimirum in exercitu serenissimi principis, archiducis Caroli, fratris nostri charissimi, anno praeterito in Turcicam inciderit captivitatem, quodque certo compererit, eundem esse modo Constantinopoli, et captivum degere apud Mehemetem passam, prout ex ipsiusmet dicti captivi filii sui deploratoriis constat litteris, manu ejusdem propria exaratis, humillime supplicando, quatenus pro eliberatione ejusdem ad vos, ut, qui ea in re multum praestare valeretis, clementer perscribere dignaremur. Nos sane ejusmodi paterni animi erga filium, utpote naturae divinitus inditam affectionem, et sollicitudinem compatienter respicientes, nec non fidelia utriusque, adeoque totius

familiae nobis praestita, grataque semper servitia clementer perpendentes, supplicantis precibus, omni ex parte pietati et naturae consentaneis, deesse nequaquam potuimus, ac proinde vobis clementer mandamus: ut quatenus sine impedimento ac jactura negotiorum nostrorum, et absque vestro periculo fieri potest, in supradicto Francisco Doczy eliberando idoneum aliquem modum, sive id pecuniis, sive gratis, sive Turci cuiusdam captivi, si posset fieri, permutatione, faciendum sit, pro vestra prudentia et dexteritate etiam atque etiam investigetis, ipsumque redimatis, vel quacunque ratione eliberare, salvumque patris laribus restituere, et parentis sui gemitus tam pio officio sublevare studeatis, et nulli curae, labori, vel impendio parcatis, quemadmodum vos diligentem operam adhibituros esse non dubitamus, quandoquidem facturi estis in eo benegratam voluntatem nostram.]

Datum in civitate nostra Vienna die vigesima octava Septembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani et Hungarici quinto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XXXIII.

Ugyanazoknak ugyanaz.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis. 1567. oct. 4.

Maximilianus Secundus, favente divina clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles dilecti. [Exponi nobis fecit Catharina Gutschitzen vidua, qualiter ante sexennium mariti quondam sui agnatus quidam nomine Ladislaus Gusith a Turcis captus, et Constantinopolim abductus, adque triremes una cum aliis Christianis misere redactus sit, dicti vero captivi capitaneus, egregius, fidelis nobis dilectus Johannes Krusith tibi Alberto de Wyss de suo proprio peculio centum triginta ducatos ad ejusdem eliberationem reliquerit Constantinopoli, pro quibus ejusdem eliberationem te promoturum esse, memorato capitaneo receperis, quod tamen, quia bellicorum motuum causa hactenus forsan fieri non potuit, humiliter a nobis supplicando petiit, ut ejus promissi te clementer commonefacere dignaremur: id vero, quia ut pium et honestum, petenti viduae denegare non potuimus, vobis simul et seorsim clementer mandamus et injungimus, ut quantum citra negotiorum nostrorum intermissionem et jacturam licet, concessis et legitimis modis, et rationibus, quibus poteritis, supradicti captivi eliberationem suscipere et procurare non intermittatis, sed e durissimis vinculis exemtum, salvum et incolumem reducatis, facturi in hoc omnimode benegratam, et expressam voluntatem nostram.] Datum in civitate nostra Vienna die quarta Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani et Hungarici quinto, aliorum vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

Külön papirszeleten:

Reverendissime ac magnifice. Jussus sum a majestate regia dominationibus vestris reverendissimae et magnificae per postcripta, ut vocamus, significare:

[Quae expensae datae sint Tabellario? Dixit ille se accepisse isthic a] dominationibus vestris reverendissima et magnifica [triginta ducatos, a capitaneo Segniensi accepit sedecim taleros. Sic cum nollet contentari centum florenis, dati sunt ei ducati viginti ultra illos centum florenos.] Singkhmoser.

XXXIV.

Ugyanazoknak ugyanaz.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus, nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis. 1567. oct. 4.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles dilecti.

[Conquestus est nobis, fidelis noster dilectus Adamus Gall in Losdorf, quod filium suum Johannem nomine, novemdecim annorum juvenem apud spectabilem ac magnificum quondam Nicolaum Zrinii comitem per aliquot annos ut alumnum habuerit, qui et apud eundem comitem in praesidiis castri Zygethi postmodum expugnati a Turcis captus sit,

et quemadmodum ab alio quodam dicti quondam comitis servitore, similiter capto, pro certo comperisset, Budam et Constantinopolim, indeque ulterius ad novem milliaria ultra mare in civitatem Bursiam nuncupatam abductus fuerit, ubi modo apud praefectum sive beghum quemdam Turcicum, nomine Mehemet Tschelebi, in compedibus misere degat. Quapropter humillime supplicando a nobis petiit, quatenus pro eliberatione dicti captivi sui filii tentanda et suscipienda, ad vos perscribere etiam atque etiam dignaremur. Nos sane ejusmodi a natura inditos paterni animi gemituosos affectus et suspiria ob misere captivum filium clementer exaudientes, singulari et christiana compassione moti, calamitosis hisce suppliicantis rebus, quem alioquin etiam ob ejus diuturna fidelia ac praeclara obsequia singulari gratia complectimur, ope nostra caesarea deesse noluimus nec debuimus. Ac proinde vobis clementer mandamus et injungimus, ut de statu ejusce captivi filii sui, qui in religionis et christianae fidei nostrae professione constanter (ut perhibetur) hucusque perseveravit, diligenter perquiratis, omnesque, quibus illum, citra tamen negotiorum nostrorum dispendium, redimere et ad nos salvum perducere, vel alioquin in Christianitatem remittere possitis, occasiones legitimas investigetis et arripiatis, quo afflictus idem Adamus Gall opem nostram caesaream nequaquam frustra implorasse, sed levamen et auxilium inde nostrum cum fructu percepisse videri possit, quemadmodum vos pro singulari vestra discretione et industria facturos esse, nihil sane dubitamus, siquidem in eo facturi estis omni modo benegratam voluntatem nostram]

Datum in civitate nostra Vienna die quarta Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani et Hungarici quinto, aliorum vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

XXXV.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad caesaream majestatem.

Nos hic multo secus omnia quoad statum lega- 1567. oct. 7.
tionis nostrae offendimus, quam passa Budensis et majestati vestrae caesareae scribebat et nobis Budae loquebatur. Nec mirum est, quod tam blande eliciebat oratores ejus; quia hic intelleximus promissum fuisse illi vesiriatum apud hunc principem, si demandatam hanc provinciam, in eliciendis scilicet nobis, ex sententia confecisset. Idque ut persuaderet magis, eo etiam commento usus est, ne Budensi praefectura moveretur nostrae pacis gratia, quam longe pluris faceret, quam vesiriatum praefecturamque omnium in hoc imperio quantumvis maximam. Haec praemisimus, ut caesarea majestas vestra deinceps istius etiam passae ingenium perspectum habeat, et animadvertat, quantopere et in quem finem ii oratores vestrae caesareae majestatis habere apud se optaverunt et curaverunt.

Quod igitur ad praesentem rem nostri tractatus attinet, difficultas ejus cogit nos esse breviores, quo et celerius illa a majestate vestra cognoscatur, et

omnes ejus nodi, quantum fieri poterit, extricentur, nobisque modus ac via quam maturrime detur ad prosequendum reliqua, quorum ii conclusionem, praeter solitum, mirifice sollicitant. Quod etiam habet in se aliquid considerationis, et inferius clarius attingemus.

Porro itaque, quum paulo ante reditum principis hujus ex aucupio, de variis articulis legationis nostrae cum supremo passa tumultuarie colloqueremur, quosdam vitabamus attingere, ut quietiori tempore et passa reddito nobis benevolo eos tractaremus. Hos ei turcice descriptos, quorum copiam cum praesentibus nostris mittimus, porreximus, suppressa et dilata prorsus omni etiam commemoratione de divisione colonorum, positioneque limitum, ac de distractione arcium Tattae et Vesprimii; subaudiveramus enim in his nos admodum laboraturos et summum negotium habituros.

Die itaque 21. Septembris, salutaturi de more principem, deducti sumus in divanum magna et honorifica pompa, ibique denuo pro oratorum officio eisdem passis salutatis, amicitiaque majestatis vestrae caesareae commendata verbis appositis, attigimus quasi in transcursu, etiam de causa et modo nostri adventus, rogatis paulo diligentius, ut postquam eotunc essent una omnes in tribunali sui principis, vellent ex animo curam capessere afflictissimorum regni Hungariae colonorum conservationis, studiumque etiam vestrae caesareae majestatis in hoc ipsum inclinatissimum ita apud principem suum probare et promovere, ut hae miserae et spoliatissimae Hungariae reliquiae, quomodocunque fieri poterit,

potius vel supersint et consistant, quam ex toto evastentur et dilabantur.

Vix supremus passa haec pauca nos eloqui passus, nec tunc de porrectis articulis facta multa mentione, coepit articulum de divisione colonorum, positioneque limitum et de arcium Tattae ac Vesprimii distractione excutere, verbisque pluribus voluntatem principis sui declarare: secus videlicet pacem hanc fieri non posse, nisi in finibus limites ponantur, omnesque possessiones et subditi, qui essent in potestate ejusdem principis, nolle eum ulterius, ut nobis censuales sint tam pecuniarum ae servitiorum, quam etiam rerum quarumcunque aliarum; velleque omnino, ut ab administratione et dominio, curaque eorum manus nostras amoveamus, sed intra limites quieti maneant; nostri vero, qui nobis ab eisdem limitibus erunt reliqui, censuales sint, ut hactenus, in utramque partem, qui videlicet fuerunt censuales; qui vero non, nec imposterum sint. Arces quoque Tattam et Vesprimium distrahendas esse, ne deinceps praedatoribus praebeant receptacula; cogique, ut id fieri velit, etiam sua religione, ne in potestate Christianorum remanerent incolumes, in quibus et templa sua habuerunt, et vota ac orationes Deo Uni Optimo Maximo nuncuparunt. Hisque pro voluntate principis hujus assensu dato, pacem demum futuram.

Nos his, clementissime imperator, auditis, non parum certe perturbati fuimus, maxime autem quum coepissemus eis opponere fidem publicam sub demortui principis ac majorum suorum juramentis, qua eosdem subditos ad tributariam deditionem pertraxerunt: fidem hanc non aliter eis esse servandam, quam

aut Valachis aut Ragusinis, et quibuscunque aliis, qui tributi interventu bona et ditiones suas pacifice obtinent et fruuntur illis; nihil quoque caesaream majestatem vestram in expeditione nostra minus cogitasse, quam quod magnitudo hujus principis id divisionis colonorum et positionis limitum esset attentatura; quae res maximae difficultatis foret, nec posset ita commode deduci ad effectum, ut in Hungaria magni tumultus non essent futuri. Et similia argumenta multa. In ea verba passa erupit: Dicere sultanum Selimum, praesentem eorum principem, patrem suum, de hoc statu colonorum, deque pluribus aliis rebus finitimis, quas melius scire debuisset, ignorasse; passas quoque suos primarios, Alym, Hruztanum et plerosque alios, qui ejusmodi statum eorumdem colonorum ratificaverunt, eosque bifariam tot solutionibus et servitiis distrahi passi sunt, mendaces et improbos fuisse. Abrogare itaque se omnes hujusmodi litteras ratificatorias eorum, ut falsas et indignas; patrem vero suum, dum vixit, sic imperasse, uti ipsi placuit, ejusque modis et formis omnibus annihilatis et invalidis factis, se jam sic imperaturum, ut ei libuerit.

Firmiter itaque deliberasse, ne imposterum eidem coloni in sua ditione constituti, bifariam sint obnoxii, census et servitia exhibere, velle quoque poni limites et desertum in medio, arcibus illis duabus disjectis. In quo nodo pariter diu laboravimus, curantes ut simpliciter stare eas permisissent; diutius differentes movere parilitate demolitionis Babolczae et Berzencze; et interim assidue ingerentes illis, armis esse captas, obstareque admodum dignitatem caesareae majestatis vestrae et religionem suam, quo minus eas distrahat, maxime autem, quod tot arci-

bus, comitatibus et subditis bello proximo amissis, non esse omnino e dignitate et honore ejus, ut reliquas demoliatur ac destruat; caeterum tanti id momenti esse quod exigerent, ut majestas vestra caesarea mallet Viennam et plures alias similes civitates bello sibi eripi, quam ut easdem arces hunc in modum diruat et solo aequet. Alioqui jam neque nos habere, quid super iis loquamur, quando invitati ad pacem amicabilem, aequam et honestam, nulla aequabilitate de ipsa pace agerent, violenta que nobis opponitur difficultas, nimirum sic velle suam magnitudinem, ut rem irrevocabiliter deliberatam. Disceptatique cum passis hunc in modum diutius, quam per horam et dimidiam, allatae sunt epulae, pransique in eodem divano cum illis, postea quoque amotis epulis eandem repetivimus disceptationem.

Urgente hic passa, ut assentiremur principis sui voluntati, nobis vero in proposito persistentibus, remque intempestive motam esse saepius dicentibus, daturamque causam magnorum motuum in Hungaria magnatibus et nobilibus, qui utique ex iis deditiis et communibus subditis, vitam exules ex suis arcibus et curiis sustentarent: jactare tunc coepit principis potentiam, et caveremus, ne nostra contumacia indignaretur, remque pacis ad arma verteret. Atque ad haec responsum parantes moderatum, non sine tamen suo acumine: non esse pacificationis amicabilis oratores bello territare, accurrerunt ministri praetorii, assedisse principem in suo anditorio, et exspectare oratores. Mox itaque assurgentes omnes, deduxerunt nos ad principem, ibique exequuti omnia paulo verbis pluribus, quae salutationem, felicitatis precationem, gratulationemque de sublimatione ejus ad paternum

imperium, et munerum exhibitionem, oblationemque vicissitudinis officiorum concernebant, respondit princeps: intellecturum se omnia hujusmodi, et facturum omnia, quae pro dignitate sua poterit. Hisque eo mane sic transactis, recta a principe, soluto jam divano, ad hospitium rediimus

Die postmodum 24. ejusdem Septembris, profecti ad supremum passam, solide intellecturi, quid omnino fieri deberet de utroque hoc articulo, in tam scabrosam controversiam perducto, et quibus modis ac rationibus hujusmodi divisio colonorum, positioque limitum fieri deberet, obiter quoque tentavimus adhuc: desinerent velle arces duas demoliri; demumque, si nihil optabilius post audientiam apud principem habitam super his decrevissent, peteremus facultatem mittendi ad caesaream majestatem vestram veredarium cum informatione difficultatis hujus juxta instructionis nostrae commissionem; quandoquidem nos tantam facultatem non haberemus, sed resolutionem a caesarea majestate vestra exspectaremus.

Tunc passa reliquorum articulorum, quos ei porrexeramus, paucis deliberatione praemissa: offendi vos tantopere Transsylvano non oportere, imbecillem esse, nec esse credibile tanta eum perpetrare, quanta illi apponuntur, et alioqui pupillum et beneficiarium esse sui principis, nec posse aliud eundem principem facere quam fovere et tueri illum. Mansurum itaque in Transsylvania, placereque ut in pace comprehendatur. In ea vero regni parte, quae est a Tibisco ad Transsylvaniam, pacifice partes possideant quae obtinent inpraesentia. Nec in hoc deliberationem aliam fieri posse, et concedere suum principem, ut

idem Transsylvanus cum majestate vestra possit de aliquibus arcibus sive bonis extra Transsylvaniam, aequis conditionibus permutationem facere, sic tamen, ut quantum dederit tantum recipiat, ne fiat in regno alienatio, quod est sui principis. Suppressisque nominibus hominum particularium, quae nominatim in diplomatibus principium suorum (uti passa dicebat) ex antiquo more non insererentur, satis esse, omnes tales sub generali vocabulo exprimere: magnates, nobiles ac reliquos omnes cujuscunque conditionis fideles subditos nostros. Quod existimavimus fieri odio Melchiovis Balassae, quo mirifice offenduntur. Praeterea aequum nos postulare, ut Transsylvanus praesentis pacis, si ea concludetur et in illam concesserit, pacta ejus observet. Zathmariensia irrita esse, nec illum potestatem habere quicquam de his, quae possidet, quovismodo alienare seu constituere, quum sit mancipium et zangziachus hujus principis, ac duntaxat usufructuarius omnium eorum, quae in manu habet; si autem accideret, ut bona et subditos caesareae majestatis vestrae damnificare praesumeret, gratius futurum huic principi, si castigatio ejus rejiceretur in illum; alias si ipse primas dannorum causas injecisset, defensionem caesareae majestati vestrae non inhibere.

Probavit quoque, ut si quae accusationes majestatis vestrae ad portam hanc perferrentur, interim nihil crederent, nihil contra eandem decernerent hostile, donec ipsius etiam rationes cognovisset. Assensus quoque est, ut cuilibet partium liceat in solo suo et novas munitiones erigere et veteres reparare. Similiter placuit, ne parvae discordiae finitimorum totam pacem perturbent. Placuit etiam, ut homines

caesareae majestatis vestrae, qui hic tenebuntur, oratorum fruantur privilegio, interpretes quot et quales voluerint, dummodo viros secretos, teneant. Eadem ratione in dandis et accipiendis litteris habeant libertatem, sed hoc utrumque cum suo scitu. De tribus reliquis probavit et penultimum et ultimum, verum de diminutione muneris honorarii neque audire voluit. Et licet nos affatim exposuissemus rationes, quanto tamen magis insistebamus diminui illud oportere, eo minus proficiebamus. Principem suum magno suo pudori ascripturum, si ei talia munera quotannis non penderentur, quae pendebantur patri; et legitimo jure belli eas regni partes esse ademptas, quarum amissionem pretextu diminutionis hujusmodi sollicitaremus. Quod bellum et quam jacturam non pertulissemus, si in dependendo suis temporibus eodem munere honorario diligentiores fuissemus. Se itaque valde et pudere et metuere, vel unicam mentionem facere de hoc, suo principi, et mirari etiam admodum, caesaream quoque majestatem vestram, tantum et tam potentem in Christianitate imperatorem, de lucello (sic enim ajebat) millium aureorum esse sollicitam. Nos vero quia jam multa argumenta insumpseramus in his diluendis, tandem (ut verum fateamur) nos etiam aliquanto remisimus, quum vidimus de re nec loqui eos velle, eoque vergere totum negotium, ut caesareae majestatis vestrae existimatio propter tam parvum aes scommatice perstringatur.

Sic percursa memoratorum articulorum deliberatione, hisque etiam de honorario munere protunc in silentium fixis, quod haec male contentis auribus audiebamus, nihil interim de oblatione caesareae liberalitatis majestatis vestrae praetermittentes: passa

repetito articulo de divisione communium colonorum, de positione limitum, et de distractione Tattae ac Vesprimii multo acrius coepit loqui, nobisque quasi necessitatem imponendam, ut voluntati principis sui annueremus: esse impossibile, ut princeps decedat ab hac voluntate. Nos, quia jam quaecunque dicere in contrarium scivimus et potuimus, omnia fere consumpseramus, et jam facultatem etiam obtinueramus edocendi de his caesaream majestatem vestram per proprium veredarium, in quo similiter satis torserunt nos, ut pro litterarum credentialium forma, finem his articulis statim eorum arbitratu faceremus: aut eadem respondebamus aut summarie uno verbo dicebamus, nos de conclusione horum articulorum a caesarea majestate vestra pro mandato suo exspectaturos. Nec interim posse quicquam super eosdem articulos nos respondere, postquam eorum princeps huic suae sententiae tam deliberate inhaesisset.

His hunc in modum eotum cum supremo passa actis, monuit nos, ut alios quoque passas singilatim omnes viseremus, et de his ipsis articulis ageremus; se quantum fieri poterit acturum apud principem, ut rem nostram promoveat, cavere tamen interim, ne reliqui passae calumniari se possent, quod ipse nobis faveret detrimento hujus principis, et solus vellet omnia agere. Die itaque XXV. et XXVI. aditis passis pro supremi admonitione, satis superque cum iisdem quoque pertractavimus, nec Pertavo faventiorem habuimus, Ahmatum et Pialym contra, reliquos aequiores, inefficaces tamen, ut sine peculiari passione. Sic luctati et cum iis passis aliis, nihil aliud judicio nostro effecimus, quam quod ad ravim usque declamavimus, et hortamenta tantummodo reportavimus, ut

voluntati eorum principis obsecundemus, antequam indignatione ad arma et vim intumescat. Esse enim illum pluribus locis potentissimum, et ubi semel ad bellum devenerit, aegerrime mutaturum sententiam, quod iidem eorum omnes Ottomani principes unum verbum haberent. Ad haec nos nec sollicite jam respondentes, nec admodum attendentes, quod multa elapsis colloquiis effuderamus, modestia et dexteritate non posthabita, instructioni ac rei nobis demandatae incumbebamus. Quam quum nulla ratione de his praecipue tribus articulis, in quibus et horum et nostra cura potissimum versabatur, ex sententia obtinere possemus, adhuc pertentare passam voluimus, num quid melius pro voto nostro in reliquorum passarum colloquio devenisset, postquam nos etiam cum illis colloqui voluerat? An etiam num perstaret in sententia jam nobis toties lata de dictis tribus articulis? peteremusque ad postremum, ut declararet nobis modum et rationem, qua et dimissionem colonorum et positionem limitum fieri vellet, quo caesaream majestatem vestram edocere possemus, eaque tandem decerneret, quid in hoc fieri vellet.

Ultima itaque die Septembris admissi ad audientiam passae, et exequuti verbis appositis, quae constitueramus et hic supra attigimus, non solum eundem passam melius aliquid non decrevisse invenimus, sed omnino eandem quam prius cantilenam coepit occinere, et impossibile esse dicere, ut princeps velit jam a decreto suo super hos tres articulos recedere, nosque jam cogitaremus, obsecundare illi, nisi bellum mallemus, quia aliter pax non consequetur.

Modus autem et ratio, qua ponentur limites et subditi nostri, qui hactenus injuria fuerunt communes,

praecidentur et segregabuntur ab iis, quos vos habetis in vestra potestate, haec tenebitur: ut scilicet mons, in quo est sita Agria, primus sit limes, inde discurrendo per Zolnok, per Hatwanum, per Filck, per Wygles, per Lewam, per Strigonium, per arcem Chokakew, et demum usque ad amnem Rignam, sic ut quicquid subditorum ab his limitibus sub eorum ditione esset, una cum Jazigibus et Cumanis cederent absolute illorum potestati, nec imposterum nobis essent censuales. Qui vero ab hiisdem limitibus ad partem nostram remanerent, ii, qui hucusque fuerunt eis censuales, deinceps quoque essent, reliqua in pristina immunitate sua persisterent.

Volentes tunc clarius informari de his, institimus omnibus viribus, ut nobis magis perspicue haec omnia declararet, et in scripto etiam daret, quo majestas etiam vestra facilius rem perspiceret, et deliberaret tali omnia moderamine, quo esset conveniens; quum non ita leviter adducta sit, ut amicitiam hujus principis habere et complecti voluerit. Nihil fecit, nec scimus, an quod noluerit, an quod nequiverit, quia res magni est negotii. Librum tantummodo nobis identidem principis sui ingerebat, non ostendebat tamen, in quo ajebat omnes arces, civitates, oppida et possessiones regni Hungariae esse descriptas. Si itaque nos in hoc minus caesareae majestati vestrae satisfecisse videbimur, supplicamus humillime, dignetur nos clementer habere excusatos, quia summo conatu in hoc institimus, sed aliud ab eo consequi nequivimus. Curavimus tamen, ut mandetur passae Budensi, quo dictum librum ostendat, si opus erit.

Non omisimus etiam summo studio et summis rationibus tam supremo quam caeteris quoque passis

declarare, quantae difficultatis erit haec divisio colonorum et positio limitum. Quod certe pacificationis tempore moveri non debebat, quandoquidem haec usurpatio in alterius partis potestatem communium colonorum, magnam principis hujus animi alienationem ab amicitia imperatoris nostri demonstraret, maxime quod vi etiam id, uti toties jam nobis dictum est, fieri debeat, si ultro et benevolentiae via non fiet. Verum ne adhuc duo argumenta intentata relinqueremus, alterum ex nobis, si sic forte caesareae majestati vestrae placuisset, nimirum ut hac regni divisione et praecisione colonorum omissa, omnibus arcibus, tam quae adhuc in potestate nostra sunt, quam quae jam in vestram devenerunt, possessiones et coloni sui redderentur, alterum ex instructione, extrema necessitate compulsi, videlicet, ut postquam incolumitatem arcium Tattae ac Vesprimii caesareae majestati vestrae nollent concedere, jure et amicitiae gratia diruerentur vicissim eorum duae: Babolcha et Berzencze, sic servata hac aequalitate in dejectione harum arcium existimationi utriusque imperatoris satisfieret. Prius itaque omnino negavit, alterum se curaturum obtulit.

Octobris dehinc prima, divano ejus diei soluto, nunciavit nobis passa, obtinuisse se, quod petieramus, ut arces Berzencze et Babolcza, novae et veteris distinctione facta, vicissim diruerentur. Id ea tamen conditione, ut postea nos Tattam et Vesprimium ipsum non instauraremus. Novam autem Babolczam nullam esse erectam, distrahendamque veterem, quae esset ultra Rignam amnem. Quod facilius qui istic sunt, pervidebunt, eaque destruetur cujus casus magis e re nostra erit. Quamquam et de vetere, si adhuc stat, et de nova, si fuerit addita, pari modo agetur.

Caeterum actis passae cumulatis gratiis, et caesarea liberalitate majestatis nostrae illi delata, aggressique curam de expediendo jam tabellario nostro, nulla re interim alia remorati, quam ultima deliberatione status Tattae et Vesprimii, cupientes de eo certi aliquid ad caesaream majestatem vestram posse perscribere, de repente noctis jam crepusculo interpres noster Mahmuttus ad nos venit, nuncians passae nomine, ut quas essemus ad majestatem vestram daturi litteras, prius illas ei ostenderemus. Scire se cupere, quomodo tam petitionem suam de Ahmatto Zecieniensi begho, quem instat donari huic principi, quam etiam de omnibus aliis nostris rebus.*) Nos etsi jam de certis indignitatibus expostulati fueramus, quas a quibusdam, malitia ne ministrorum an etiam ignoratione passae, perferremus, nescimus, animadverso tamen hac ex re contemptu plane non obscuro, quo putabamus nimis nos ab eis subjici velle, dum impelleremur ad insolita hujusmodi, quorum tota indignitas in caesareae majestatis vestrae, existimationem redundare videbatur, ratique nostri officii nostraeque fidelitatis esse, id injuriae non obaudire, nec nos summitti tantae insolentiae, renunciavimus passae perturbatiore animo: Id nobis novitatis admodum grave et injurium esse, qua aperte nos capi sub jugum quoddam sentiebamus, ex eaque etiam ad caesaream majestatem vestram nobis hic subactis, subjectionis quiddam erat perventurum, quam adhuc nemini unquam subjectam fuisse, a tota vero Christianitate coli ac suspici; nosque etiam eandem huc misisse, non ut subditorum more pacem peteremus, sed invitati, vocatique

*) Kimaradt: ‚scripseramus' vagy más rokon értelmü ige.

amicabiliter, sub aequis et honestis conditionibus tractaremus. Aliter si nobiscum ageretur, nostraeque litterae excuterentur hunc in modum, qua insolentia et vi retroactis annis nunquam domum Ottomanam fuisse usam: nos nec tabellarium nec litteras ad majestatem vestram esse missuros. Et si quid obstinatius in nos committere vellent, mori prius esse paratos, quam honori ac dignitati imperatoris nostri defuturos, non aegre insuper laturos, si infectis rebus domum nobis esset redeundum. Ablegato interprete cum his quae eloquuti eramus non dejecto spiritu, ut intelligeret passa, esse nos oratores totius Christianitatis imperatoris, velleque ita haberi, ut deceat tanti principis oratores, etiam si majora et graviora in nos creparent.

Intenti post in responsum ad hujusmodi, die sequenti summo mane idem interpres ad nos rediit et longe mitiora nobis retulit, quam arbitrabamur. Passam significare: simus bono animo, a nulla vi nobis esse metuendum. Nos neque contemptu peti neque sub jugum mitti. Et caesareae majestatis vestrae amicitiam et existimationem apud suum principem eo loco esse, quo summi Christianorum imperatoris et esse et haberi debeat; nec alio animo cognitionem litterarum nostrarum desiderasse, quam simplici, et ut potuisset principi suo aliquid de his dicere, si se requisisset. Sic et hac tragoediae nostrae parte ad suum finem deducta, tabellarii expeditionis curam quietiore animo repetivimus.

At jam caesarea majestas vestra informata humillime a nobis de difficultate divisionis colonorum, et positionis limitum, dignabitur quam maturrime, clementerque et deliberare et commissionem ad

nos transmittere, ne ii novas aliquas de eadem suspiciones sibi proponant. Quia mirum est, quantopere anhelant, ut haec pax nostra celerius concludatur.

Quia vero sacratissima majestas vestra clementer nobis in instructione mandavit, ut de difficultatibus ad eandem remissis opinionem quoque nostram scriberemus, quid scilicet nos facto opus esse putaremus: de duabus arcibus non est, quod prolixius loquamur, postquam sic rem earum peregimus, ut ad postremum jussi fueramus. Et certe ita pro earum incolumitate ac pro dignitate caesareae majestatis vestrae laboravimus ut prope dimicaverimus; sed hostis tumidus et potentia fretus nullis argumentis, nullis justissimis et verissimis rationibus flecti potuit, fecimusque, quod potuimus.

De colonis vero dividendis et ponendis limitibus, difficile et periculosum est vel os aperire. Quae tamen cum venia pro captu nostro dici possunt: si divisionem hanc colonorum, et positionem limitum caesarea majestas vestra concederet, ut damnosum et turpe esset non solum apud exteros, sed etiam apud domesticos, ita manifeste quodammodo appareret, quod caesarea majestas vestra eas eidem hosti regni partes non solum excusabilibus aliquibus causis concessisset, sed etiam parum probabilibus contulisset. Unde imposterum et pace in bellum aliquando redeunte facilius in pauca reliqua invaderet, et jure etiam quodam sibi super hiisdem partibus arroganter vendicato, illud insuper jactare, novis aliquibus rerum causis postulantibus, non omitteret, sibi a caesare et rege Maximiliano II. regnum fuisse traditum, eoque se non solum belli sed etiam collationis ejus jure potiri. Quod non posset caesareae majestati

vestrae accidere, nisi cum existimationis suae magno praejudicio.

Accederent huc et magnatum ac nobilium querimoniae, non silerent etiam militares ac minores populi, et interim posset etiam contingere in tanta rerum publica desperatione ac tristitia, ut, destituta caesarea vestra majestate, in varia universi dilaberentur praecipitia, maxime autem ad Transsylvanum, quem vel velit mundus, vel nolit, hic princeps et ii passae tuentur, quantum omnes eorum favores et vires possunt, suo certe, praecipue, non ejus beneficio. Taliaque etiam suscitari possunt caesareae vestrae majestati ab iis, qui offenduntur Austriacae domus amplitudine, quae majestatem vestram supra modum perturbarent.

Verum, clementissime inperator, non desunt etiam contraria argumenta, quae diligentius pensitata viderentur esse admissibilia, quodque hosti possunt concedi aliqua, nunc rebus nostris ita languentibus. Hujusmodique argumenta, ut paucis percurramus. Non ignorat majestas vestra, quod ab eo tempore, quo hae deditiones subditorum coeptae sunt fieri, apud etiam defunctam majestatem fere nullius earum utilitates fuerunt considerationis. Unde finitimis praefectis jus cum officio dabatur, ut easdem villas in subsidia militum distribuerent, seque etiam illis juvarent. Quae subsidia etsi multo utiliora erant quam stipendia, similibusque extorsionibus ipsi etiam praefecti supra modum ditarentur, vestris tamen majestatibus non aliud commodum proveniebat, quam quod hac ratione possessio utique aliqua regni retinebatur, verum ita retinebatur, ut saginatis aliquot militibus, haidonibus, et similibus aliis vagis hominibus, praeda

viventibus, qui furtive excurrebant per hujusmodi dedititios, tantum abest, ut servarint majestatibus vestris vel in parte aliqua regnum, ut hostibus saepissime lacessitis, multo certe plura, similium hominum culpa ad hodiernum usque diem de eodem regno amissa sunt, quam virtute recuperata et conservata, nec interim vel unica stipendia majestatibus vestris relaxarunt, quum ipsi tanta commoda caperent de subditis dedititiis.

Huc et illud accedente, quod foedera etiam cum Turcis retroactis temporibus habita, nulla fuerunt diuturna, sed percussis tantummodo, et eorum transactionibus visis, paulo post ab iis ipsis semper fuerunt perturbata. Quod praecipue nunc quoque in causa est, quod hic princeps adeo contumaciter inhaeserit et incubuerit in hanc sententiam, ut scilicet memorata divisio colonorum, et positio limitum fiat, caesareaque majestas vestra ac sui omnes prorsus eximant manus ab eorum vel cura vel administratione, nec quisquam eos, ut hactenus, ad solutionem censuum, servitiorumque exhibitionem adigere praesumat. Idque sic apud suum principem, dicebat passa, esse decretum, ut, nisi cum eo amicabiliter de hoc, uti petit, in tractatu pacis hujus transigetur, omnibus aliis consiliis suis inpraesentia posthabitis, bello se usurum et curaturum, ne victoriarum paternarum fructus hostes obtineant.

Hoc autem quod idem princeps conari et perficere nequeat, esto quod multi sint, intima principum ignorantes, qui dictitent, vires horum nunc esse fatigatas et exhaustas ferme bellis proximis, principem vero militiam aversari, delectari otio, pleraque imperii munia negligere, Persamque molestum habere, et alia

in hanc sententiam multo plura: trivialium hominum opinionibus innituntur, nostro quidem judicio quemcunque etiam fatigati atque exhausti audebunt excipere. Nos autem quoties jam experti simus hanc aleam, totius regni Hungariae amissio testatur. Et si adhuc vel semel non verebimur experiri hoc periculi, multis hac tempestate domi nobis ad haec tentanda pro voto non respondentibus, facile fieri posset, (quod Deus avertat) ut cum deditiis reliquos etiam amitteremus.

Si huc illud etiam ascribemus, quod ad jus armorum attinet et passa principem suum imprimis et summa sollicitudine urgere ait, maxime quod nostri in ejus ditione hactenus tam libere per utramque ripam Danubii usque in Syrmium, per Tibisci vero alteram Titulium usque, et deinde in Bacciam et Colloclam praedabunde excurrerunt et extorsionibus (ut ipse dicit) subditos suos armis paternis acquisitos vexari aerummisque afficere; haud dubie, si quod partibus judicium daretur, hac via etiam (passa dicebat) quod voluntas principis ejus probaretur et adjudicaretur illi totius causae meritum.

Adde etiam, quod successiva jura in hoc Ottomanorum principum imperio (quod idem passa saepius ingerebat) nullum locum, nullum usum, nullas leges habent. Armis et parricidio avitum imperium sortiuntur. Et illud sic regunt atque gubernant, reficientes antecessorum modos et formas, prout cuique alia atque alia placuerint ac displicuerint, et commodiora sibi videbuntur. Unde et identidem hortatur nos, relinqueremus vetera, et cum novo principe nova moliente concordaremus, et accomodaremus nos novis ejus institutis. Scientes propterea, quod paterna fides

Hungariae data subditis de quorum statu nunc agitur, immo neque etiam juramenta eundem suum principem ligant, quae omnia cum eodem simul decesserunt, et se jam suis usurum juribus et authoritate quoad vixerit, posterum cura non teneri, quae esset in Dei et gladii potestate.

De argumentis nostris, quibus hujusmodi rationes diluere et extenuare conati sumus, et multa et non invalida fuerunt, jamque superius quaedam attigimus, eisque propter brevitatem omissis, posteaquam satis jam abunde ostendimus difficultates tantae controversiae, finem tantummodo opinioni nostrae, quid faciendum fore arbitraremur, expediemus. Illud vestrae caesareae majestati et dominis regnicolis non putantes pro ratione temporum omnino esse rejiciendum: nimirum si huic principi longinqua remitterentur libera, limitibusque militaribus hominibus deductis et constitutis, reliqua apud utrosque suae cuique arci restitueruntur, cessaret quoque imposterum deditionum faciendarum coactio, et quique, tam eorum quam nostri subditi, suis duntaxat dominis et census et servitia pendant, non bifariam ut hucusque.

Atque haec tametsi non omisimus passae proponere nostro duntaxat nomine, idque in eum modum, si caesareae majestati vestrae placuisset nostra opinio, nec displicuisset ipsi passae aut suo principi: sed frustrati sumus, nec admisit hunc etiam modum, volens omnino, ut qui coloni cedent illis, ipsis solis serviant, et pendenda pendant, nostri solito more bifariam. Quod et iniquum est et nefarium, nec ullo modo admittendum, cui conditioni etiam nos hic summo conatu refragati sumus. Caeterum majestate vestra caesarea de difficultate hujusmodi humillime infor-

mata celerem deliberationem exspectamus. Et jam privata quorundam exequemur.

Oratori Gallo venerunt pro hoc principe et supremo passa munera quaedam pauca, cuppae, pelves, gutti, salini, candelabra et id genus alia cum certo numero vestium panni serici et lanei preciosioris. Quorum valor est, ut refertur nobis, quinque circiter millium coronatorum. Quarta hujus mensis convenit passam. Imperatorem 12. hujus conventurus et exhibiturus munera. Instat pro classe in Corsicam deducenda. Affectat quoque nuptias filiae Petri vojvodae Transalpinensis et eum principatum, potitusque utroque desiderio multas legiones Ugonottorum cum rebus et familiis suis passae pollicetur, affirmatque quod ex harum provinciarum altera Philippo regi, ex altera caesareae majestati vestrae admodum noceri poterit.

Pergit etiam (sicuti ante scripseramus) pacem hanc turbare, et si voti compos non fuerit, Ugonottos quoque cum rege suo in eadem comprehendi curat. Homo est juvenis, annorum circiter XXVIII. et ingenio valde volubili, ac plane toto Gallico, cujus pleraque passam ridere ajunt, caeterum respondit illi ad haec praesentia: Classem nunc caesari suo esse necessariam. Nec licere Turcis Ugonottorum, quicunque sint illi mortales, aut similium quorumvis hominum privatorum nomina indere in diplomata principum familiae Ottomanae. Desineret itaque de Ugonottis cogitare. Regis tamen habiturum se rationem si caesareis oratoribus persuaderi poterit. Habemus etiam ex optimo loco, vereri Gallos, ne majestas vestra pacificata cum hoc principe, conjugioque Anglicano consequuto, bellum eis moveat propter quasdam im-

perii civitates, neve eadem in majus amplificari queat. Unde, ut astruat suas fantasias, retulit quoque passae, magnas turbas in imperio exortas esse contra caesaream majestatem vestram, sectasque Flandricas denuo invaluisse et ducem Alvam magnis periculis in ea provincia conflictari.

Simili modo passa quoque sua sponte in cursu nostri colloquii dixit nobis, idque jam secundum, timere Venetos caesareae majestatis vestrae magnitudinem, maxime si pax ista concludetur. Ideo optare, ut etiam ipsos curaret in hanc ipsam pacem comprehendi, quo securiores esse possint de limitibus, quos cum majestatibus vestris habent. Marinus tamen de Caballis, dum hic esset et multa indigna sustineret, ajunt quidam boni viri, semper palam negasse, oratores majestatis vestrae ad hunc principem esse venturos. Verum ubi primum accepit, eosdem esse jam in itinere et venire cum muneribus, subito tam praecipite coepit urgere expeditionem, ut litteris etiam transactionis eorum, pro quibus a senatu venerat, non omnino confectis, e republica uno et XX. millibus aureorum dimissionem extorsit et recessit non sine variis populi scommatibus, varie interpretantes id festinationis tam intempestivae ob adventum nostrum. Caveruntque valde apud nos, qui haec de Gallo et de Veneto nobis retulerunt, ut secretissime teneantur, non solum hic, sed etiam istic.

De Persae motibus non pauca afferuntur, sed valde cuncta occultantur; orator autem ejus jam a VII. mensibus vulgatur quod sit in itinere, locumque nominant ad quem pervenerit, sed his adventus ejus reciprocat, ut Siculum fretum, jamque praeter

Turcas nemo venturum dicit. Nec de eo aliud scribere possumus, tanta sit de adventu ejus incertitudo. Classis solita diligentia et sollicitudine adornatur. Princeps cogitat intra XXV. dies Hadrianopolim. Nos sequi ne volet, an non, ignoramus. De Bebeccho, de bonis ejus, ac de arce Mwnkach nulla prorsus adhuc facta est mentio, nos etiam siluimus. De Zigeto ac Giula quoque caute mentionem feceramus, ut habemus in instructione, sed ulcus ungue attigimus, neque cogitari volunt de his arcibus. Meminimus etiam apud passam de pacis tempore, opportunitates hic postulare, neve nos coepissemus loqui de dicto ejus tempore, vitantes gentis intemperies, persuasurique majestatem vestram, sinceriter pro pace ageret,*) respondimus: eandem id in vestrum principem rejecisse, ad quot annos voluisset, vel etiam utriusque vita durante, sed quia de hoc tractabitur in conclusione, nullum amplius verbum fecimus.

Caeterum miratur passa, quod majestas vestra postulatos captivos beghos huic principi dono non miserit. Ait enim, quod plurimum gratificata fuisset illi, addidissetque etiam facilitatis aliquid in eo ad complacendum petitionibus vestrae majestatis. Circumivimus hunc articulum, quantum potuimus, summa cura, et conati sumus id ei tollere desiderii juxta eam formam, quam instructio praescribit nobis, sed nihil effecimus. Et quia jam Mahmut se redimerit, instat omnibus modis, ut Ahmatum Zeczeniensem beghum mittere velit. Ait, hoc tempore suo principi majestatem vestram, rem gratiorem non posse facere. Cui nos etiam humillime supplicamus, ut dignetur grati-

*) Közbenszúrt zagyva sorok.

ficari isto captivo, huic et principi et passae, ne forte remittent aliquid de difficultate praesentis nodi; aut si nihil aliud obtinebimus, petemus pro eo juvenes nobiles in inclusa scheda descriptos. Proximis etiam diebus ciausus quidam in oppido Tur captus dicitur esse ab Agriensibus et ad majestatem vestram deductus, Turcis quibusdam et Transsylvanis, qui eum deducebant, pessime habitis, quod Transsylvanus summa celeritate significavit passae, quo est valde perturbatus. Nos tamen ita egimus, ut super hoc majestatis etiam vestrae exspectaretur informatio. Assensus est passa, et optat reddi omnem praedam, et ciausum huc mitti; interim tamen operae pretium erit, ne hi casus incidant, et puniantur etiam serio aliqui, ut, quae nos hic affirmamus, istic effectibus comprobentur. Alias frustra hic nitemur. Fineque his nostris posito, sacratissimam caesaream majestatem vestram Deus Optimus Maximus quam diutissime incolumem et felicem servet, nobisque clementer ignoscat, quod rarius scribimus. Nam hic hoc tempore omnibus publicis hominibus quoad mittendas litteras omnia sunt astricta et inhibita. Constantinopoli, 7. Octobris 1567.

XXXVI.

Bornemissza Pál, erdélyi püspöknek Verancsics.

Ad reverendissimum dominum Transsylvanensem.

1567. oct 7. Ego beneficio Dei vivo et bene valeo, quamquam post aegritudinem non omnino levem. Hoc scribo, ne credat rumoribus, si quid de me secus isthuc pertulissent. Quandoquidem tunc etiam, quum paulo interdum fuerim debilior, nihilo infirmius gessi rem mihi demandatam, quam si fuissem firmissimus; speroque quod in posterum quoque valebo magis pancratice, nec opera mea majestati caesareae, domino nostro clementissimo desiderabitur, modo rem haberemus cum hominibus mitioris et aequioris genii.

De hoc tamen satis, nec publica a me exigat, quae intelliget a caesarea majestate, quae quidem talia sunt, quae plurium dominorum consiliariorum et magnatum censura debebunt excuti, et decerni quae erunt decernenda.

Interim reverendissima dominatio vestra habeat mea omnia commendata et occasione oblata scribat etiam aliquid de vestris rebus, addet quoque quid egerit reverendissimus dominus Strigoniensis de resignatione mea praeposituraе Turocensis in meum nepotem; quid etiam de domino Sbardellato, et demum de omnibus aliis, de quibus scribi poterit. Dalmadinum commendo, et optate ac feliciter valere. Constantinopoli 7. Octobris 1567.

XXXVII.

Mihály testvérének Verancsics.

Ad Michaelem fratrem.

De statu vestro et incolumuitate dubius, quum a 1567. oct. 12. digressu nostro ex Pannoniis prorsus de vobis nihil usquam intellexerim, et quum desiderio salutis vestrae majus non habeam, videte quo moerore animus, qua amaritudine cor meum torquetur. Vos autem, ne similem angorem perpeteremini, quum aequo erga me affectu sitis, jam binas meas ad vos ex hac urbe dedi, haeque erunt tertiae. Quarum si vel unae tot maria incolumes enavigaverint, illabenturque in manus vestras, et diligentiam meam in scribendo non defuisse vobis cognoscetis, et de salvo statu meo nihil, quoad hoc tempus, dubitabitis.

Proinde expeditio quoque nostra non proferetur longe, reliquis enim prope omnibus ex sententia transactis, pauca quaedam proximo quatriduo per peculiarem veredarium ad caesareae majestatis deliberationem propter nodos, quos habeant, transmisimus, atque ea ubi redierint caesareo digesta judicio, conclusioni totius legationis incumbemus, et reditum curabimus.

Vos tamen, non curata interim vel tardiore vel celeriore expeditione nostra, quibuscunque viis poteritis, nec enim de republica inter nos agimus, detis operam, ut vestris litteris certior fiam, quid sit de vobis

quid de tota domo, et quam recte cum Petro transegeritis. Quid item de Hungaricis rebus habeatis, quia ne illinc quoque quicquam adhuc litterarum accepimus. Hinc autem tam aegre dantur, quam ex eo loco, in quo succurrit nulla redemptio. Vale cum magnifico domino capitaneo Michaele Luceio et cum tota ejus ac nostra domo. Constantinopoli, 12. Octobris 1567.

XXXVIII.

A császári felségnek Verancsics és társai.

Ad caesaream majestatem.

1567. oct. 24. A die septima hujus mensis, qua Eduardum ad caesaream majestatem vestram cum difficultatibus de articulo dividendorum communium colonorum et ponendorum limitum in regno Hungariae expedivimus, in eo duntaxat occupamur, ut articulos pacis in ordinem redigamus, exspectantes interim quid caesarea majestas vestra super his deliberabit, quae ad eandem data sunt Eduardo. Quae quum sint difficillima et plena malitiae hostilis, tum certe deliberatione indigent non praecipiti, sed matura et plurifariam perspecta. Nam hostes illud potissime captant, ut deditities suae duntaxat potestati vendicent sine negotio, eosque ita demum sibi muniant quaqua versus limitibus, ut ad reliquum Hungariae obtinendum, duo duntaxat illis supersint: Agria, Dravaeque ac Murae interamnium; Rigna autem amne ita pauca illa, quae circum Balatonem lacum et in illis satis angustis tractibus vestrae majestati restant, excludant, ut re-

liquum Croatiae facile potestati suae subjiciant et in Stiriam atergo Rignae securissime excurrant, populenturque omnia obvia. Hoc autem consilium hostium vel ex eo deprehenditur, quod necdum pace conclusa, quam tractamus, ipsi jam dudum dedere mandata ad finitimos beghos, ut quique eorum arceant nostros a dominio communium colonorum, inhibeantque et Agriensium venditionem vinorum in Jazigum Cumanorumque possessionibus, et census ac servitia eos colonos, qui ultra Rignam sedes habent, pendere majestati vestrae non permittant Quod etiam ex litteris proximis caesareae majestatis vestrae intelleximus. Ideo haud dubie ardua est tantae difficultatis deliberatio, quod in parte altera valde sit damnosa, in altera vero periculosa, qua hostes bellum minantur, si conditioni postulatae non assentiemur.

Quantum autem hostes hoc tempore bellum terrestre gerere possint, multa et nos ipsi cernimus, et referuntur ab aliis, sed vix ulla ratio est, qua id facultatis nunc habere possint, quacunque enim proxima expeditio ducta est, ubique omnes populos ad extremam egestatem redegit, sic ut possessiones etiam quam plurimis in locis deletae fuerint. Quia ultra quod initio belli omni frumento spoliati, pecuniaque censiti fuerint, et exercitum magna ex parte sequi sunt compulsi, omnes quoque ordines militares, quemadmodum alii aliis, iter agentes succedebant, gratuita annona et pabulo ii, qui domi remanserant, coacti sunt fovere. Hincque factum est, quod neque sementem facere potuerint, tot incommodis pressi. Unde et Turcae quidam amici nostri retulerunt nobis in hanc sententiam: hos nunc terrestri bello vacare non posse, quod panem non habeant, et propterea, velint, nolint,

facturos vobiscum pacem. Quandoquidem et Persae certis apparatibus perturbantur, qui cum quibusdam vicinis Arabibus inito foedere, nihil minus, quam de oratore huc mittendo cogitaret, et valde intentum esse delectibus faciendis. Nec deesse rumores, loca quoque jam hujus principis nonnulla expugnasse et caedem in praesidiariis ejus fecisse. Quae omnia quantum habeant veritatis, adhuc in incerto est, sed tamen his de rebus palam hic omnium ora loquuntur, spesque accisa omnis est de adventu oratoris ejus. Quod iis (uti multi dicunt) magnam belli significationem facit, suntque admodum ex ea parte solliciti.

De maritima expeditione multi varie opinantur, sed nemo adhuc quicquam vere affirmat, quo sit destinata, utcunque et de Cypro ac Melita, et de quibusdam aliis locis vulgo circumferatur. Et tametsi jam 163. triremes habeant, omni fabrili opere absolutas cum omnibus suis attinentiis, quia tamen nondum imperati sunt remiges nec alia navium genera expediri jussa vehendis munitionibus et commeatibus, desieruntque etiam a sollicitudine, quae proxime circum easdem triremes expendebatur, omnes arbitrantur, generalem aliquam expeditionem non futuram, nisi si LX. aut LXX. triremium, maritimorum locorum gratia tuendorum; utque ostendant Christianis, nihil illorum nec viribus nec animo ad belligerandum decedere. Haec ex bono loco.

Heri autem hic princeps profectus est Hadrianopolim. Quid ibi hoc hiemis tempore acturus, non multis constat, sed quidam ajunt, quod in gratiam affinium foeminarum, quas zultanas vocant, quae sunt in omnium passarum conjugia distributae; quidam vero, quod propter venationes et aucupia, quodque ibidem

totam brumam decrevisset exigere. Nos veremur, ne ob eam causam, ut bello minitetur Hungariae reliquiis, quasi jam Hadrianopoli erit in procinctu aggrediendi bellum, si proximis ejus postulatis caesarea majestas vestra non annuerit. Jussum autem est, nobis quoque, ut eodem sequemur principem, ibique exspectemus deliberationem caesareae majestatis vestrae super his, quae ad eandem data sunt Eduardo.

Caeterum litteras majestatis vestrae penultima Augusti datas XII. Octobris instantis a supremo passa nobis redditas incolumes quidem accepimus, sed valde sero; nescimusque an hujus, an Budensis passae tam diuturno tempore detentae fuerint ergastulo. De quo etsi loqui non praetermisimus, causam tamen certam non potuimus assequi. Eaque cura intermissa, qua frustra torquebamur, excursiones et praedas post discessum nostrum in omnibus ferme nostris confiniis per finitimos beghos factas, quas hisdem in litteris inclusas accepimus, Turcice descriptas eidem passae exhibuimus, nec praetermisimus oratione quoque magis perspectas illi reddere, petentes et mandata nova, ut praesentes induciae integrius servarentur. et ut omnis praeda maxime autem hominum et jumentorum restitueretur. Quod et majestas vestra apud suos esset curatura, si quid ipsi etiam similium praedarum ex ditionibus Turcicis habuissent. Sed quid tandem apud eundem passam profeccrimus, nondum videmus. Nam initio impingens in castellorum Bathyan, Segesd, et Zabatkae instaurationem. cur scilicet, hoc non liceret illis in eorum ditione, ferocius aliquandiu, induciarum oblitus aut etiam earundem nolens omnino meminisse, declamitavit; nosque vicissim opponentes responsa necessaria, vix-

tandem persuasimus, sic has praesentes factas esse inducias, ut dum pax solida concludetur, et armorum usus inter partes cesset et fortalicia nulla reparentur, sed omnia in eodem statu apud utrosque fines permaneant, in quo initarum induciarum tempore fuerunt.

Vertit hinc sermonem ad articulos querimoniarum, eosque subridendo coepit ironice ordine excutere et diluere, impossibile esse dicens, quod Musulmani vel unica mandata principis sui obaudirent, nec parerent eis. Excursiones, et depraedationes has non esse veras, et Christianorum esse figmenta. Ubi vero dixeramus in festo divae Magdalenae congregatos fuisse Turcas Sclavoniae finitimos supra mille equites sub Gora, X. personas captivas fecisse, et supra LXX. capita pecoris majoris abegisse; die quoque 24. Augusti duos beghos collecto circiter trium millium equitum et peditum numero, bombardisque instructos campestribus, castellum Zakan diem et noctem oppugnasse, frustratosque recessisse, exclamavit spiritu prope quodam actus: Et quid (inquiens) vos giauri timorem hunc non animadvertitis, quo vos Deus afficit? Ex decem aut duodecim Musulmanis, quos in vos idem immittit Deus, perstricta vobis et mentis et oculorum acie, duo et tria millia eos vobis videri facit. Ubi igitur finitimi beghi, quos vos nominatis, tot equites et pedites facere queant? Ad quae respondimus utique aliqua simili ironia, sed uti vidimus eum quasi irridere querimonias nostras, nosque velle eludere ineptiis hujusmodi, ad gravitatem muneris nostri compositi, diximus: Domine passa de sanctitate vestrorum militum, deque gratia, qua polletis apud Deum, nos non agere, verum neque imperatorem nostrum cum vestro tractare ludicra. Duo

vel tria, quae dicitis commisisse nostros finitimos, coelum ipsum completis clamoribus, nosque capitis reos facitis; vestri pluries quam vicies tot perpetrarunt, quae neque credere, neque audire vultis, et insuper habetis pro figmentis, et pro rebus minime veris, dictitantes, Christianis (ut Musulmanis) fidem non esse adhibendam. Ideo omittamus et nos ludicra, vestraque illustrissima dominatio curet mandata ad Budensem passam, ut de his cum caesareae majestatis hominibus cognoscant; cognitaque omnium rerum veritate jubeat primum observari inducias, deinde praedam restitui; nosque hic, quae ad concludendam pacem spectant, tractemus sine istis frivolis disputationibus.

Post haec Transsylvanum etiam non praetermisimus, ut ei quoque mandetur serio, ne tumultuetur extra Transsylvaniam, suosque apud se retineat. Quia alioqui ipse viderit, quidquid incurret, si caesaream majestatem vestram lacessere non desierit. Respondit passa: haec omnia se facturum, quum erit Hadrianopoli. Sed quantum videmus, frustra quis eis in odium adducit Transsylvanum; suis commodis illum mordicus tuentur. Unde nos etiam diceremus humillime, ut interim, donec pax concludetur, majestas vestra caesarea summo studio retineat illa, quae habet intra Tibiscum et Transsylvaniam, nec desit suae et suorum defensioni, si idem Transsylvanus non conquieverit. Quo casu, si Huzth quoque haberi poterit, occasionem non esse praetermittendam putaremus, sed sic, si primae ab eo porrigerentur causae. Nec id quidem immerito, ut cum Cretensibus cretizetur, nam quum de Transsylvano agere coepissemus et dixissemus, praefectos ejus jactantius se se gloriari: datam sibi a domino suo

fuisse potestatem recuperandi et Banyam et Erdeud et quae inibi sunt reliqua, addidissemusque, sic nunquam pacem firmiter constaturam inter nostrum et eorum caesarem, si Transsylvano tanta licentia dabitur grassandi in caesareae majestatis vestrae ditione; admodum frigide, nec pro exspectatione nostra, nec pro eventu pacis respondit, adjiciens, haud quaquam se dubitare, quod Transsylvanus libenter recuperaret et Banyam et Erdeud et omnia alia, quae in illis locis, ut sua, antea obtinebat, si posset: sed sine nobis non poterit. Respondimus: hoc expresse esse contra praesentes inducias, sub quibus nihil hujusmodi novitatum vel nobis vel illis attentare liceat. Ea autem quae Transsylvanus asserit esse sua, quomodo in jure usurpare sibi queat, si nec patri ejus ea fuerunt propria, quae in Hungaria potestati suae subdiderat, et malis rationibus acquisiverat?

Sic et his studiose intercisa disputatione, quia videbamus, etiam Transsylvano factam fuisse potestatem recuperandi aliquid amissorum sub hoc tractatu pacis, quemadmodum et Turcis, qui nunc novas deditiones colonorum urgent, et captant, ut pleraque loca alia, ita et castellum Zakan propter Dravi et Murae interamnium, ut sub hoc etiam tractatu pacis detrahant aliquid nobis, uti saepe fecerunt aliorum foederum temporibus, quibus multa amisimus et lucrati sumus nihil, sic hoc exemplo, quid vestram quoque majestatem deceat bono jure facere, si hujusmodi dolosis praxibus vel a Transsylvano vel a Turcis provocabitur, majestas vestra novit.

Postremo quoniam passa interdum nos durioribus, nec adeo convenientibus caesareorum oratorum conditioni verbis perstringit, non sine gravi nostra

perturbatione, latere majestatem vestam noluimus, usique interim modestia, et re, quasi non intellecta, studiose praetermissa, aculeata hactenus pro ejus intemperantiae merito non sumus ausi respondere, ne forte turbaremus aliquid, quod caesarea majestas vestra turbari nollet. Supplicamus itaque, ut clementer dignetur nos instruere, quid posthac in hoc nobis agendum erit; num haec tolerabimus, nec ne? Nam ut est agrestis homo maxime, ita et superbus est quam maxime. Nosque haec habuimus inpraesentia, quae ad caesaream majestatem vestram humillime scriberemus. Quam Deus Optimus Maximus diu servet incolumem et felicem. Constantinopoli 24. Octobris 1567.

XXXIX.

Verancsicsnak és társainak Maximilián császár.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus, nobis[1567. nov. 17] dilectis, episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus imperator semper augustus, etc.

Reverende devote, nobiles, fideles nobis dilecti. — Existimamus te Albertum de Wyss meminisse, quod antehac tibi commendaveramus eliberationem cujusdam Casparis Guspari, qui ad Gerbas captus et Constantinopolim ductus fuerat, ubi etiamnum detineri dicitur; pro quo, cum jam denuo fuerimus humiliter interpellati, et nos afflictis istis hominibus, qui

nobis et domui nostrae fideliter servierunt, et dum bonam nobis operam praestare satagerent, duram quoque captivitatem inciderunt, ex innata nostra benignitate opem nostram non possimus denegare, vobis jam semel*) ejus eliberandi curam demandandam duximus, jubentes et mandantes, ut si poteritis commode et sine negotiorum nostrorum impedimento, libertatem ejus apud serenissimum Turcarum imperatorem aut illustrissimum ac magnificum Mehmeth passam, vel alibi promovere, nomine nostro pro illo intercedatis, miserumque auxilio vestro non destituatis.

Similiter vobis etiam clementer commendamus eliberationem cujusdam Hispani, Lopecotan Caravayal vocati, qui sese, cum esset capitaneus unius cohortis peditum, ante novem annos in servitiis serenissimi et catholici Hispaniarum regis, fratris et patruelis nostri charissimi, in conflictu ad Mostogan habito, periisse, et cum octo annis fuisset in potestate vicerepis Algirensis, tandem ab eo se serenissimo Turcarum imperatori isthuc dono adductum asserit; pro fraterno namque amore, qui nobis et dicto serenissimo regi invicem intercedit, non gravate etiam alter alterius subditis atque fidelibus, ubicunque possumus, opitulamur. Et in hoc exequemini benignam voluntatem nostram. Datum in civitate nostra Vienna die decima septima Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani et Hungarici quinto, Bohemiae vero decimo nono. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. Maximilianus m. p. M. Singkhmoser m. p.

---

*) Az eredetiben, talán tollhibából: ‚simul'.

XL.

Ugyanazoknak ugyanaz.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis[1567. nov. 22.] dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis.

Verancsics kezével: Redditae sunt Hadrianopoli 13. Januarii 1568.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, nobiles, fideles nobis dilecti. — Accepimus ab Edouardo de Provisionali litteras vestras die septima proxime praeteriti mensis Octobris datas, una cum exemplo earum, quas antea, nempe [decima octava Septembris per viam Venetam] ad nos dedistis, nobis quidem in hunc usque diem nondum redditas. Ex his autem cognovimus, quae vobis in ista vestra legatione a die, qua vos, episcope, et Christophore a Teuffenpach, Constantinopolim appulistis, eatenus quotidie occurrerunt, quatenus in demandata vobis pacis tractatione progredi potuistis, in qua licet neque nos tot et tam graves difficultates exspectabamus, quia tamen vos rem omnem, ea qua potuistis fide atque diligentia tractavistis, hos etiam vestros fideles conatus non improbamus, sed benigno animo suscipimus.

Et quod ad rem ipsam attinet, animadvertimus, plerisque conditionibus, quas in instructione vobis

data complexi fuimus, et vos primario serenissimi Turcarum imperatoris consiliario illustrissimo Mehmeth passae descriptas obtulistis, datum fuisse locum, sed adhuc tria praecipua capita in controversia esse posita, de quibus cum non fuerit vobis integrum certi quicquam polliceri atque concedere, ad nos humiliter referendum duxistis, utputa: de diruendis arcibus et castris Tatha et Vesprimio, de positione limitum et divisione villarum communium; quantumvis, sicut apparet ex litteris vestris, serenissimus imperator Turcarum et passae consiliarii ejus magna animorum obfirmatione conati sint super iisdem a vobis virtute litterarum vestrarum credentialium certum et absolutum, ac desiderio et voluntati ipsorum congruum responsum et promissionem extorquere.

Quae quidem tria capita, cum valde sint ardua et nonmodo statum, quietem et permansionem regnorum et dominiorum nostrorum ac maxime afflictarum Hungariae reliquiarum concernant, sed dignitatem quoque et existimationem nostram tangant, non potuimus ea ita perfunctorie et obiter percurrere, sed matura et accuratissima deliberatione opus habuimus, adeo, ut etiam plusculum in capienda resolutione temporis insumptum sit, et cursor hic noster serius fortassis, quam sperabatis, ad vos recurrat.

Et quia in his tribus litigiosis articulis primus est ille, in quo petitur demolitio Thatae et Vesprimii, ac vicissim offertur destructio Babolchae et arcis Persentz, super eo etiam primo loco respondebimus, vobisque animum et voluntatem nostram declarabimus.

Nimirum [non dubitamus, vos haud obscure intellexisse ex ea, quae vobis data fuit, instructione, nos ad demoliendum, nedum restituendum ullum locum,

quem in nostra nunc potestate habemus, non admodum esse inclinatos, cupereque istiusmodi molestia, si unquam fieri queat, prorsus levari, nisi vicissim ex parte Turcarum alia loca, quae non sint inferioris momenti, destruerentur, atque sic utriusque nostrum aequalis esset conditio. Ubi nos quoque admonuimus, Vesprimium absque insigni jactura et periculo adjacentis ditionis nostrae desolari minime posse, de Thata vero et aliis nonnullis leviusculis arcibus nos forte non ita acriter reclamaturos, si vicissim etiam ex Selymi parte similia loca a nobis nominanda diruerentur. Ideoque voluimus etiam, oriente disputatione de arcibus et locis hinc inde demoliendis, Turcis diligenter inculcari aequabilitatem conditionum inter amicos servandam, atque ex ipsis Turcis intelligi, quaenam loca ipsi e diverso sint demolituri, pertentando animos illorum, num spes aliqua sit, eos adduci posse, ut supradictas arces Babolcham et Persentz, alias in illo districtu sitas diruerent, ita tamen ut ne quid certi in hoc puncto concluderetis vel polliceremini, sed voluntate Selymi penitus perspecta, rem omnem cum opinione et sententia vestra integram ad nos per litteras referretis, nostramque desuper resolutionem exspectaretis.]

In hac [sententia et desiderio effugiendi scilicet, si unquam fieri possit, hanc dictorum duorum locorum destruendorum necessitatem et molestiam, nunc quoque persistimus, et quo magis de ea cogitamus, eo magis ab istiusmodi demolitione, vel maxime Vesprimii abhorremus. Nam licet Selymus et Mehmeth passa ad instantiam vestram et spem ipsis super destructione Thattae et Vesprimii per vos factam, vicissim obtulerint, se demolituros Babolcham et Per-

sentz, tamen magna est inter nominata ista nostra et illorum loca inaequalitas et nulla pene facienda comparatio. Etenim Turcae, dirutis Babolcha et Persentz, nihil plane et valde parum incommodi sentient, cum haec propter angustiam non possit capere magnum praesidium, nulliusque ferme Turcis sit usus, alteram vero, Babolcham scilicet, veluti ruinosam et invalidam, collapsis duobus in locis moeniis, ut non possent, ita nec in animo habuerunt retinere. Sed quamvis id in Porta ista negatur, a regione ejus in ulteriore ripa fluvii Rigna oppidum Babolcha erexisse et quatuor vicinis sanziacchis, designata unicuique eorum sua portione, demandasse perhibentur, non alium in finem, quam, ut postulante necessitate non simplex tantum praesidium militum ibi interteneatur, sed quandocunque eis libitum fuerit, confluentibus illuc cum copiis suis dictis quatuor sanziacchis, species justi exercitus ad invadendam ditionem nostram illic alatur, habita commoditate pontis in flumine illo sub ipsa nova Babolcha; quam etiam ob causam, ut scilicet in eventum, quo destruenda foret aliquando Babolcha, sicuti jam dudum hanc demolitionem animo volvisse videntur, haberent similem vel aliam magis idoneam opportunitatem: proxime praeterito aeque anno castellum novum in possessione Barch vocata ad confluentem Rignae et Dravi erexerunt, ut ibidem non solum peditum et equitum praesidium interteneant, sed classicum quoque apparatum nazadarum ac aliorum navigiorum habeant, quorum opera ac praesidio tum liberum in utroque flumine vadum habere, tum absque impedimento per Dravum adverso flumine ascendere et quacunque illis libitum fuerit, longe lateque in ditionem nostram praedatum excurrere queant. E diverso

autem nos, deletis Vesprimio et Thata, longe graviorem jacturam sumus facturi, siquidem multo majoris est momenti, quam Babolcha et Persentz. Quapropter si vel Thata vel Vesprimium duntaxat, vel utrumque simul pro parte nostra delendum foret, ipsi quoque deberent Turcae vice versa praeter Babolcham veterem ac Persentz, novam quoque illam munitionem, ut dictum est, ultra Rignam extructam, una cum praedicto novo castello in possessione Barch erecto diruere.]

Cum [igitur plane persuasum habeamus, vos memores instructionis vestrae, Turcis hanc spem, quam eis injecistis, diruendi Vesprimii et Thatae, non aliter quam a vestra parte sponte atque sub ratificatione nostra dedisse, nobisque rem omnem integram conservasse, volumus proinde, et clementer jubemus, ut Selymo seu Mehmet passae, ac caeteris passis consiliariis ejus jam memoratas difficultates, et maxime inaequalitatem locorum utrinque diruendorum, nostris multo majoris momenti existentibus, diligenter explicetis, et iterum atque iterum inculcetis, ostendendo: quo magis loca nostra illorum commoditate et opportunitate exsuperent, tanto plus etiam habere indignitatis, si iis tam facile cedamus, nostramque ditionem ac fideles subditos dictorum locorum praesidio atque refugio denudatos in extremum discrimen conjiciamus, ac Turcis diripiendos, captivandos et opprimendos ultro objiciamus; aequitati vero et rationi consentaneum esse: si Selymus sincere et ex animo cupiat nobiscum pacem facere et bonam, veramque amicitiam contrahere, sicuti sese velle, manifeste declaravit, et nos hujusmodi declaratione moti et freti oratores nostros hanc ob causam ad

serenitatem ejus ablegavimus, ut quemadmodum decet, bonos amicos, condignam quoque rationem ducat dignitatis et existimationis nostrae, cui voluntaria ista destructio locorum nostrorum tanti momenti procul dubio aliquid tenebrarum offunderet, praesertim cum ultro videremur serenitatis suae praefectis, ac militibus maximam commoditatem praebere, ditionem nostram, pace ut soleut, non curata, assiduis incursionibus, rapinis et caedibus vastandi et occupandi.]

Itaque [his et aliis rationibus, quas secundum vestram eximiam solertiam et industriam, pro qualitate loci et moribus gentis, ad rem facere judicaveritis, ulterius omni studio laborare et eniti, nihilque prorsus intentatum relinquere debebitis, ut Selymus ab hac petitione desistat, dictaque loca nostra in futurum etiam erecta stare patiatur, affirmando, non esse quod dubitetur haidones, plagiarios vel praedones in istis locis deinceps receptum habituros, seu ditionem Turcicam inde infestaturos, esse, siquidem probe curaturi et prospecturi simus, ne quisquam ex praesidiariis illorum duorum locorum quicquam, quod induciis, paci et bonae vicinitati minus conveniat, moliri praesumat, sed potius, ut illi in sua se statione pacifice contineant, nec quidpiam damni ditioni Turcicae inferant; ita ut plane credamus, serenitatem ejus posthac non habituram in hac parte justam conquerendi causam, dummodo nostri a serenitatis suae praefectis et militibus ad arma non provocentur.]

Sin autem [Selymus et passae ejus ab hac petitione et sententia nullo modo possent dimoveri, in quo tamen vobis omni cura incumbendum et facile nequaquam cedendum erit: tum demum gradatim procedendo imprimis, nomine nostro concedatis solam

Thatam sub hac conditione ut vicissim ex parte ipsorum Turcarum Babolcha vetus et nova, ac Persentz prius diruantur.]

Quod [si tunc Selymus et ejus passae consiliarii nec solius Thatae demolitione contentabuntur, sed Vesprimium quoque diruendum omnino contendent, nec aliter in tractatibus pacis ulterius progredi volent, sed eos sese abrupturos et ad arma redituros interminabuntur, quos tamen omnibus rationibus placare, et a proposito isto removere studebitis, tunc demum si secus fieri nequeat, ne propterea tractatus isti disturbentur, illis pro Vesprimio demolitionem arcis Palotae offeratis, ea tamen conditione, ut ipsi Turcae hoc casu non solum et novam et veterem Babolcham, ac arcem Persentz cum supradicto castello in possessione Barch erecto destruant, verum etiam castellum Kakath in ripa Danubii e regione Strigonii situm deleant, quoniam quidem ex eo Turcae tum pacis et induciarum, tum belli tempore non desinunt in ditionem nostram versus civitates montanas, nostram ac totam circumjacentem illam regionem excurrere, omnesque illos comitatus depopulationibus, invasionibus, extorsionibus et violentiis omnis generis vexare.]

Et quando [etiam hanc oblationem diruendae Palothae pro Vesprimio Selymus et passae ejus acceptare nollent, sed Vesprimii destructioni insisterent, eamque urgere pergerent, vos e diverso debebitis illis acerrime, posthabitis quibuslibet illorum contentionibus, minis, et jactationibus, adeoque ad extremum usque conatum reniti, nihilque intentatum relinquere, quo nobis Vesprimium salvum et incolume conservetis.]

Verum, [si frustra moto omni lapide, neque permutatio ista Palothae cum Vesprimio obtineri poterit, quin immo certo constiterit, pacem et concordiam aliter confici minime posse, sed vel Vesprimium diruendum, vel certissimi, gravissimique belli aleam nobis jam statim denuo subeundam fore: tum denique, et non prius; poteritis nomine nostro, omissa jam dicta oblatione destructionis Palothensis, concedere demolitionem Vesprimii una cum Thata potius, quam universum pacis tractatum abrumpere. Ita tamen, ut vice versa quoque Turcae supranominata loca, utputa: veterem et novam Babolcham, Persentz et castellum in Barch possessione anno praeterito constructum, una cum castello Kakath e regione Strigonii sito diruant.]

Item ut [pagi, qui jam possidentur ad Thatam et Vesprimium, vel Palotam, nihilominus in posterum etiam nobis ac fidelibus subditis nostris ad eas arces et loca, ad quae deinceps deputabuntur, census et servitia sua praestent, neque eis in hoc a praefectis et militibus Turcicis quidquam impedimenti vel molestiae exhibeatur, neque etiam alias ulla eis vis et injuria quoquo modo inferatur. Et hoc intelligendum est etiam de villis et possessionibus ad Thatam pertinentibus, in eventum, quo Turcae solius Thatae demolitioni acquieturi essent.]

Caeterum [si forte Selymus et passae ejus admitterent destructionem novae Babolchae ac castelli in Barch possessione erecti, excepta munitione, quae jacet in oppositione Strigonii, poteritis, posteaquam accuratissima et instantissima tractatione praehabita, manifeste apparebit, amplius quicquam obtineri non

posse, ab hac quoque petitione, destruendi videlicet dicti castelli Kakath desistere].

Praeterea [hoc loco illud etiam considerandum est, et expressis verbis ac idonea cautione, seu stipulatione interposita, diligenter providendum, ex quo Turcae. qui, judicantes fortassis nos ex suo ingenio, nolunt in locis ex parte nostra diruendis postmodum quidquam novi construi et muniri: ut ipsi quoque pro supranominatis arcibus et castellis, quae ex ipsorum parte erunt delendae, imposterum, durante pace, nullam faciant novam munitionem vel iisdem in locis ubi nunc sunt ea, quae debent destrui, vel in aliis, ubi parem aut majorem commoditatem invadendi et infestandi ditionem nostram habere queant; sed absit omnis fraus et dolus, nec valeat hoc loco praetextus articuli illius, in quo, sicut inferius sequetur, utrique parti conceditur libera facultas in proprio solo et territorio muniendi et aedificandi.]

Porro [caeteri duo articuli longe omnium sunt difficillimi. Quantum enim ad limitationem in finibus faciendam attinet, ipsimet quidem non ignoramus, quod pro firmitate pacis valde sit necessarium constitui certos fines et terminos, quos vetitum sit utriusque partis militibus armata manu transscendere, sed modus istiusmodi limitationis gravis est ac multis difficultatibus implicitus. Quam enim vobis proposuit limitum distinctionem supremus Selymi consiliarius, a nobis acceptari nullo modo potest. Tali namque leonina partitione facta, plures etiam arces cum maxima ditionis nostrae in Hungaria parte, quae nobis hucusque divina benignitate belli tempore salvae et incolumes remanserunt, ex manu et potestate nostra, praetextu momentaneae et incertae pacis distraherentur,

et sic paulatim sine armis universo isto nostro Hungariae regno exturbaremur, cum summo nostro ac universae familiae et posteritatis nostrae dedecore, atque adeo irreparabili totius Christianitatis jactura. Id quod integritati nostrae, qua ad hosce tractatus accessimus, minime congruit, et propterea limitationem istam, cujus mentionem fecit Mehmeth passa, salva dignitate et tuta conscientia nostra acceptare nequaquam possumus. Et aequum sane est, ex quo Selymus postulatis ejus de destructione Thatae et Vesprimii religionem suam praetendit, ut a nobis etiam nihil requirat, quod a nostra religione sit alienum.]

Ad haec [non videmus, quomodo possit de hoc negotio aliter, quam in re praesenti agi et tractari: nam antehac quoque divi quondam domini genitoris nostri, augustae memoriae, ac serenissimi imperatoris Solymani tempore judicatum fuit, limites utriusque partis rectius, commodiusque discerni non posse, quam per commissarios ex utraque parte ad id destinandos, viros probos, graves, mansuetos et rerum agendarum expertos; quam sententiam nos quoque secuti, vobis in instructione nostra significavimus, operae pretium fore, postulantibus Selymo et Mehmeth passa, in finibus certos utrinque constitui limites, ut id negotii commissariis ex utraque parte pari numero deligendis demandaretur, qui circumeuntes confinia, servata aequabilitate et justitia, in re praesenti viderent et cognoscerent, quomodo poni et constitui queant certi notabiles et utrique parti tolerabiles limites ac termini, intra quos milites utriusque partis sese contineant, et ultra illos, praesertim armati evadere non ausint. Atque exinde rem omnem ad suos

principes referent, quo postmodum uterque nostrum, cognita ejusmodi relatione, nos invicem de sua quisque sententia et voluntate, medio et opera oratorum seu nunciorum edocere, ac denique desuper transigere et concordare possemus. Id quod vobis postulandum et diligenter tractandum nunc iterum injungimus et mandamus.]

Eadem [ratio est de divisione villarum communium, in qua conatur etiam nos Selymus seu Mehmeth passa, praetextu libri illius sui, quem allegat, supra modum praegravare. Quid enim dici vel cogitari potest minus aequabile, quam quod serenitas ejus nolit subditos et colonos in sua ditione existentes, qui hactenus nobis ac fidelibus subditis, praefectis ac militibus nostris, perinde ac Turcis censuales et tributarii exstiterunt, imposterum quoque ad utramque partem census et servitia pendere, nostros vero subditos et colonos, qui positis limitibus in nostro territorio existere dignoscentur, si hactenus ad utramque partem serviverint et census praestiterint, in futurum etiam ad id nihilominus teneri. Haec est certe differentia maximi ponderis, de qua non poterit etiam rectius transigi et concordari, nisi ipsa quoque ad futuram transactionem commissariorum super positione limitum utrinque deputandorum rejiciatur. Itaque vobis omni cura ac studio connitendum erit, ut Selymus et passae consiliarii ejus concedant, quod hoc quoque communium pagorum et subditorum dividendorum negotium commissariis utrinque deputandis demandetur, qui nimirum, situ, statu et qualitate omnium communium villarum et possessionum, quae hucusque ad utramque partem servire, censusque praestare consueverunt, cognito, perspecto et considerato, cogi-

tent, deliberent et placide tractent inter se, absque tamen alterutrius nostrum obligatione et praejudicio: An, et quomodo divisio aliqua honesta, justa et aequabilis talium locorum et colonorum possit in omnibus regni confiniis fieri atque institui, ita, ut neutra pars gravetur, sed aequalis existat utriusque nostrum conditio? Qui quidem commissarii postea hoc quoque negotium ad nostram et ipsius Selymi ratificationem, vel ulteriorem tractationem et conclusionem referant.]

Donec [autem ista omnia per commissarios illos fuerint acta et gesta, atque a nobis et a serenissimo imperatore Turcarum, procedente ulteriore tractatione, denique ratificata et approbata: pax nihilominus quoad reliqua concludatur, et hinc inde mutuis confirmationis et ratificationis litteris firmetur, stabiliaturque. Hoc pacto expresse adjecto, ut interim quoad ista duo puncta tam definiendorum et componendorum limitum, quam villarum et colonorum communium dividendorum, res omnis in eo maneat statu, in quo nunc est, ac ditio et subditi, qui hactenus fuerunt communes, imposterum etiam ita existant, cum praestandis servitiis, tum et solvendo justo, ac eo, qui tempore primae occupationis impositus fuit, censu, juxta ea, quae antea quoque in hac parte conclusa et declarata, atque partim in prioribus etiam litteris pacis comprehensa esse dignoscuntur; ipsique subditi ad novas deditiones faciendas non sollicitentur, neque cogantur, quin et certa poena constituatur in illos, qui miseram plebem novis subinde et majoribus, quam ab initio factae occupationis pendere soliti fuerunt, exactionibus gravare praesumpserint. Quoniam nobis relatum est, in magnam summam excre-

visse census miserorum colonorum primam illorum deditionem, ex quo Turcae contentari nolint ordinariis solutionibus et servitiis, ea in dies magis, magisque augeant et multiplicent, et maxime in mutationibus praefectorum, spahyorum et besliarum. Quandoquidem omnes ferme, qui succedunt antecessoribus suis, novas et graviores contributiones, census et servitia injungere consueverint, id quod fieri nequaquam convenit.]

Itaque [agite jam et omnem curam atque diligentiam adhibete, non solum apud Mehmet passam et collegas ejus, sed alios quoque officiales istius Portae, quos prae caeteris apud Selymum gratia pollere cognoveritis, quo serenitas ejus matura sententia sua, quoad articulos istos de limitibus et possessionibus communibus, hanc potius viam eligendorum commissariorum nobiscum ineat, rebus omnibus interea in hoc statu, quo nunc versantur, relictis. Et quo magis hoc Mehemet passae persuadeatis, operae pretium fuerit, illi saepius de nostra beneficentia, qua laborem et studium illius haud dubie compensaturi simus, si huic negotio ex animo faveat, atque id ad optatum et felicem finem deducat, prolixe polliceri, prout vos haec omnia summa fide, cura et sedulitate tractaturos esse, non ambigimus.]

In caeteris [conditionibus, quas Mehemeti passae scriptis comprehensas obtulistis, jam etiam responso desuper accepto, parum nobis occurrit difficultatis, sed plerasque benevole probamus atque admisimus.]

Imprimis [enim placet nobis, Transsylvanum ea ratione in hac pace comprehendi, ut in ea regni Hungariae parte, quae Tibisco et Transsylvaniae interjacet, alteruter nostrum, quidquid ad praesens possidet, deinceps etiam pacifice retineat, una

cum reliquis conditionibus, quae huic articulo in litteris vestris videntur esse adjectae.]

Similiter [probamus etiam illa, quae constituta sunt, ne quid ad quamlibet accusationem hostiliter contra nos decernatur, donec fuerint etiam nostrae rationes auditae. Item de munitionibus in proprio alterius partis solo aedificandis (salva tamen conditione et reservatione supradicta, in eventum, quo hinc inde ad demolitionem supradictorum looorum deveniendum foret.) Sic quoque placet declaratio facta super eo, ne scilicet parvae discordiae finitimorum totam pacem perturbent. Item de libertate et privilegio oratorum nostrorum, maxime in tenendis interpretibus ac recipiendis, mittendisque litteris.]

Quin [et bene factum est, quod de diminutione muneris honorarii, posteaquam semel negatum fuit, immo nec facultas data de ea loquendi amplius, non restiteritis.]

Caeterum [pacis tempus, consultum erit, ut certo annorum numero omnino definiatur, sive ea in octennium vel decennium, sive longius extendatur, neque ad alterutrius vitam duntaxat constituatur.]

Quod [autem scribitis, Mehmet passam miratum esse, quod non miserimus Selymo dono beghos captivos, qui postulati fuerunt, ac instare, ut quoniam Mahomuth Albensis jam se ipsum redemerit, saltem Achmat Secheianiensis dimittatur, et Selymo donetur, quod vos quoque fieri humiliter suadetis et supplicatis, in eo certe consilium vestrum sequi non possumus. Intellexistis enim jam antea, hunc beghum Zecchianiensem non esse in potestate aut manu nostra, sed consiliarii nostri et exercitus in superioribus regni partibus supremi capitanei, Lazari de

Schwendi, qui eum aere suo a militibus mercatus est, ut ejus permutatione Christophorum a Laubenberg capitaneum arcis Erdewt,et Joannem Villey eliberaret, quod se perfecturum receperat. Pactus insuper ultra jam dictorum duorum captivorum eliberationem pretium redemptionis aliquot millium florenorum, quamvis conditionem hactenus istam adimplere nequiverit; eo quod infelices illi duo captivi dicantur misere et crudeliter fuisse trucidati. Cum igitur rem alienam cuique donare non possumus, requirendus est omni studio Mehemet passa, ut non ipse tantum acquiescat, et quod a nobis praestari nequeat, tam enixe non postulet, sed imperatorem quoque suum de hac difficultate edoceat, atque ut serenitas ejus similiter acquiescat, authoritate sua perficiat. Pollicendo, quod alioquin,si quis esset vir Turca praecipui alicujus nominis in potestate nostra, quod firmata pace, serenitati ejus dimissione illius gratificari minime gravaremur.]

Hac igitur [accepta honesta et aequissima declaratione nostra, super memoratis tribus gravissimis difficultatibus per Mehemet passam in medium propositis, vestrum nunc erit, omnes prudentiae, diligentiae et industriae vestrae vires ac nervos intendere, quo sublatis ejusmodi difficultatibus, ea, quam in praemissis commonstravimus, via et ratione hisce tractatibus finis imponatur, sedulo et accurate explicando ac iterum, iterumque inculcando, tum saepe dicto Mehmeth passae, tum collegis ejus et aequitatem hujusmodi responsionis, declarationis, et petitionis nostrae, iisdemque subinde sedulo suggerendo et ob oculos statuendo spem largitionum et commodi et emolumenti, quod ex hac pace percepturi sint, nihilque eorum praetermittendo, quibus tandem animi illorum

expugnari, atque ad promovendum juxta praemissa optatum hujus pacifica-tionis exitum adduci posse videbuntur.]

Et quoniam [haud dubie Turcae in tractatione, et quoad articulos illos adhuc in controversia existentes, respicient ad statum rerum Persicarum, et ut illae sese dederint, ita ipsi erga nos quoque sese faciles vel difficiles exhibebunt: proinde vobis itidem maximopere curandum est, ut illarum rerum statum exacte habeatis exploratum, et vos quoque ad eam actionem vestram, tum cedendo, tum acrius renitendo conformetis.]

Ad haec [diligenter mementote in conclusione istius pacis eorum, quae vobis mandavimus de comprehendendo in hac amicitia serenissimo et catholico rege Hispaniarum, fratre et patruele nostro charissimo, juxta tenorem instructionis vestrae, siquidem facile conjectura potestis assequi, quod pro mutua nostra arctissima conjunctione, rerum serenitatis ejus non abs re singularem curam gerimus.]

Postremum [licet fortassis sit supervacaneum, vos denuo admonere omnium eorum, quae continentur in vestra instructione, quam utique arbitramur, vos dies noctesque in manibus versare, et animis prorsus infixam tenere, tamen paterna cura, quam gerimus, pro omnibus fidelibus subditis nostris, ac universa Christianitate, quodammodo nos cogit in hoc universali negotio maximopere esse sollicitos. Itaque vos gratiose et benigne requirimus, uti negotium hoc pacificationis ita caute et considerate tractetis, ut necubi ullo in articulo videantur exclusi vel silentio praeteriti fines regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ac provinciarum serenissimorum atque

charissimorum fratrum nostrorum, sive ei sint in terra continenti, sive ad littus maris, sive alias ubilibet existentes. Sed quaecunque in praecedentibus continentur, generaliter ad omnem Hungariam cum annexis regnis et provinciis, et serenissimorum fratrum quoque nostrorum dominia terrestria et aquatica referantur. Uti nobis summa vestra fides, sollicitudo, industria et prudentia plane pollicentur; qui in his omnibus executuri estis benegratam et expressam voluntatem nostram omni gratia et benignitate recognoscendam.] Datum in civitate nostra Vienna die vigesima secunda Novembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani et Hungarici quinto, Bohemiae vero decimo nono. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. Maximilianus m. p. M. Singkhmoser m. p.

Postscripta: Vobis etiam clementer significandum duximus, interea, dum conscriberetur responsum hoc nostrum, [allatas esse litteras vestras, quas simul una omnes decima octava Septembris die anni praesentis per viam Venetam ad nos dedistis. Paucis vero diebus ante accepimus etiam illas, quas tu Alberte solus ante adventum collegarum tuorum undecima Augusti scripsisti, una cum harum et priori quoque tuarum, scilicet undecima Julii datarum duplicato. Item quas vos duo, Episcope et Teuffenpach, ex itinere quarta Augusti conscripsistis]. Datum ut in litteris.

Post-postscripta: Vos etiam clementer admonemus, ne posthabeatis curam [eliberandi capitanei Hieronymi Fabiani,] de quo vobis in instructione vestra itidem mandatum dedimus.

Sic quoque vos clementer admonemus [eliberationis Dominici Zeffy], de quo itidem in instructione vestra mandatum accepistis. M. Singkhmoser m. p.

XLI.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián császár.

1567. nov. 25. Reverendo, ac egregio, Antonio Verantio, episcopo ecclesiae Agriensis, ac perpetuo comitatus Hewesiensis comiti et Christophoro a Teuffenpach, consiliariis et apud imperatorem Turcarum oratoribus nostris destinatis, fidelibus nobis dilectis.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator ac Hungariae, Bohemiaeque rex, etc.

Reverende, ac egregie, fideles nobis dilecti. — Cum majorem pecuniarum summam per cursorem nostrum praesentem Eduardum illuc vobis mittere non potuerimus, accipiet's ab ipso mille ducatos in auro, reliquum, quod vobis in sumptus quotidianos necessarium fuerit, propediem per cambium Venetum vobis eo curaturi sumus. Id quod vobis benigne significandum duximus. Datae in civitate nostra Vienna, vigesimo quinto die Novembris anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum Romani sexto, Hungariae quinto et Bohemiae decimo nono.

Postscripta : Addimus superiori summae mille ducatos ita, ut duo millia per cursorem sitis accepturi, ea conditione, ut Alberto de Wyss mille thalleros de ea summa debeatis assignare, reliquum, hoc est: mille noningentos coronatos, per dictum cambium

vobis curabitur. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium. Steineberg m. p. Hieronymus Beck a Leopoldstorf m. p. Hueber m. p.

Wirdt Inen durch den Venedischen Wexl alspalt richtig gemacht werden.

XLII.

Dornberg Vidnek Verancsics és társai.

Ad magnificum dominum Vitum de Dorimberg oratorem caesareum.*)

Nos jam hic sextum agimus legationis hujus no- 1567. dec. 7.
strae mensem, exspectantes adhuc a caesarea majestate responsum super his, quae proxime ad illius deliberationem transmisimus, et quoniam persuasa caesarea majestas erat, intra trimestre tempus finem hujus ipsius legationis fore, nihil tunc de ulteriore provisione nostra transactum fuit. Unde nunc jam non mediocri penuria sumptuum laboramus, emergentibusque interim certis legationis memoratae difficultatibus, de quibus neque cogitatio fortasse habebatur quum expediebamur, per veredarium, quem ad caesaream majestatem ejus 7. Octobris destinavimus, summa et supplici diligentia intercessimus, ut eadem digraretur mature nobis providere, idque in urbe Veneta, in qua acceptae a nobis hic pecuniae summa per cambium reponi ac persolvi deberet, nisi forte alia hujus rei ratio inveniretur, qua camera majestatis ejus jactura foenoris non gravaretur, quod esset multo consultius. De quo quum ad magnificam quoque

*) Velenczében.

dominationem vestram XXIV. ejusdem Octobris scripserimus per clarissimi baili Veneti tabellarium, adhuc tamen nec a caesarea majestate, nec magnifica dominatione vestra quicquid vel nuncii vel litterarum super hoc habuimus.

Astricti itaque interim curam habere de sumptibus, jam sesquimensis est, quod in hac arena desudamus, nec profecissemus quicquam, quascunque vias inveniendae pecuniae tentassemus, etiam diutius, nisi in egregium virum Benedictum de Gagliano, civem Galatanum incidissemus, qui nobis ultro, prope nec rogatus multum, de mille quingentis coronatis venetae cusionis providit nomine cambii, qui eidem istic in manus Dominici de Gagliano fratris ejusdem reponerentur et persolverentur.

Nos vero habentes certam fiduciam, quod hoc medio tempore caesarea majestas ejus jam de instituendo hoc ordine clementer mandaverit, illud ipsum cambium ad magnificam dominationem vestram direximus, rogantes eandem quam maxime possumus, ut si idem ordo providendi nobis jam sit institutus, curet, hoc acceptum 1500 coronatorum amicis nostris, nimirum Dominico et Benedicto de Gagliano, sine omni dilatione ac mora juxta litteras nostras cambii reddi, persolvi ac reponi.

Et si fortasse de memorato ordine nihil est adhuc constitutum, utique magnifica dominatio vestra non gravetur interim modum aliquem apud mercatores Viennenses invenire, et dare operam, ut iisdem bonis viris satisfiat, et persolvantur dicti coronati mille quingenti, obligatis etiam nostris privatis facultatibus vigore praesentium nostrarum litterarum, si fortuna aut is ordo non concederetur aut differre-

tur, donec denuo super eodem ordine ponendo eadem caesarea majestas a nobis summisse informetur et admoneatur. Nam si in hac tam mediocri pecunia rehabenda iidem amici nostri fallerentur, hic et caesareae ejus majestatis et omnium oratorum ejus omnino labefactaretur imposterum existimatio.

Ne igitur nostra etiam nobis de magnificae dominationis vestrae erga nos voluntate inanis cedat fiducia, iterum rogamus, succurrat nobis in hoc negotio, ac etiam ignoscat, si illam hujusmodi petitione gravaverimus, necessitate enim ad hoc audendum coacti sumus. Curabimus tamen omni propensitate et studio, ut vicissim non desimus gratitudini, quacunque id officii ab eadem et nunc et inposterum promereri poterimus.

Nihil interim habentes novi aliud, quam quod recens allatum est, principem hunc intra praesentem mensem Constantinopolim rediturum ob Persae et quorundam Arabum, Babyloniis vicinorum, motus, momenti et periculi non exigui, qui si non sedabuntur cura, quae ab iis in hoc magnopere intenditur, et bellum consequetur, cujus jam significationes quaedam vulgo videntur apparere, minora de classe statuentur, Cyprus quoque hoc tempore non periclitabitur, sed si ea insula erit tentanda aliquando, totas vires in eam afferent, securi prius a nostris et a Persae armis. Nos autem adhuc in exspectatione sumus eorum, quae ad caesaream majestatem deliberanda transmisimus, uti jam superius attigimus. Nec restat aliud, quam ut magnifica dominatio vestra optime ac felicissime valeat. Constantinopoli 7. Decembris, 1567.

XLIII.

A királyi felségnek Verancsics és társai.

Ad sacram caesaream majestatem.

1567. dec. 21 Non dubitamus desiderari a caesarea majestate vestra in scribendo nostrum officium, quandoquidem in quinque mensibus non plures, quam quaternas cum his dedimus, quum denas etiam intra tantum tempus dare debuissemus. Verum si majorem facultatem haberemus scribendi crebrius, hoc certe nostrum officium desiderari non pateremur, eaque uteremur diligentia, quae majestati vestrae probaretur, et nostro muneri conveniret; sed hoc tempore adeo hic oratoribus majestatis vestrae omnes hujusmodi commoditates praeclusae sunt, ut et rarius scribimus, et viis longioribus ac tabellariis dubiis, quia alienis, cogamur uti. Ad haec vero, quoniam nec sumptibus adeo uberibus instructi sumus, (quod cum venia dicimus) qui et domesticis necessitatibus nostris sufficerent propter caritatem annonae, quae nunc per totam Asiam, Syriam, Aegyptum et per omnes fere alias provincias hujus principis, asseveratione publica grassatur, et aliis nostri muneris functionibus commode obeundis suppeterent, haud quaquam propriis, occultis et subitarie necessariis veredariis gerere rem nobis demandatam queamus, via interdum agimus Veneta, satis animo ancipiti, num reddantur, nec ne, ut omnino non sileremus, et a missione litterarum cessaremus, minime

interim ignorantes, quod et viarum longiore intercapedine et eorum negligentia officii, quibus dantur, tardius perferrentur.

Non obstantibus tamen his difficultatibus, utcunque potuimus, jam binas nostras eadem via dedimus, nec praetermisimus ad magnificum quoque oratorem Venetiis residentem scribere, sed ad hoc usque tempus, nec a caesarea majestate vestra, nec ab ipso oratore quicquam ad has memoratas litteras nostras accepimus; dubitantesque, suppressas esse aut non admodum venisse gratas aliqua nostra culpa, nequimus non esse tristes. Idque ea imprimis causa, ne qua in parte accusaremur negligentiae. Sed remittentes haec omnia in benignissimum sinum vestrae caesareae majestatis, humillime confidimus, eam clementer interpretaturam et curaturam etiam, ne posthac hujusmodi excusationibus uti possimus.

De novis autem rebus hujus temporis paulo prolixius disseremus, ut plenius majestas vestra informetur, et summarie habeat, quae hic agantur. Tria nunc videntur esse in medio, quae horum bellicae alicujus expeditionis deliberationem intra occultius, diuturniusque silentium premunt: Dubia Persae amicitia, nostra adhuc incerta, et Cypri non adeo levis ad expugnandum ratio, uti fortasse initio cogitaverant. Nec praeterea oratoribus, quantumvis industriis et liberis, facile est ad veram cognitionem pervenire, quorsum tandem convertent impetum, nedum nobis, qui tali servamur sub custodia, ut maxime curent, ne qui ad nos ingrediantur, a quibus de publicis eorum rebus possemus aliquid assequi.

Et quoniam legibus suis cogantur assidue operam bello dare, ea primum tuendi gratia, quae jam

adepti sunt, deinde ut imperium quoque latius propagent, teneantque et suos populos rei militaris, et externos metu sollicitos, in Cyprum maximis animis conspiraverant, laborabantque summo studio, ut facta nobiscum pace, Persaque sedato, sic demum apud insulam Cyprum fortunam totis viribus experirentur. Verum si perrexerit Persa in inceptis, certum est, quod et cogitationem Cypri intermittent, et curabunt (uti poterunt) nostram pacem. Sic amici, rerum peritiores judicant ac referunt, in Persamque omnes conatus armaque convertent, cujus quidem turbulentiis multo magis commoventur, quam quorumvis aliorum hostium. Et hoc propter quandam discrepantiam religionis, quam inter se habent, et propter studia omnium Asiaticorum, quae gerunt erga illum propensissima, erga se vero perquam aliena.

Igitur ne Persa successus aliquos sibi facere ac firmare possit, etiam minimis ejus motibus Ottomani maxime perturbantur, et maturant illis occurrere. Quare nunc etiam inde potissimum pacatiora quaepiam exspectant, ut postmodum ea nobiscum transigant, et de Cypro videant, quae magis e re ipsorum fore judicabunt. Quum autem sine omni dubio in armis sit ipse Persa, nec desistit fines hujus principis infestare, quod vel ex plurimis querimoniis confirmatur, quas earum regionum populi indies jam contra illum afferunt ad hunc principem, fiuntque ab iis occulti quidam delectus ex Asiaticis praesidiis, eoque mittuntur, ut interim Persae vim saltem distineant, si inhibere et propulsare nequiverint, donec maturius tempus serio belli gerendi veniat, et generalis illuc apparatus deduci possit: non sunt omnino vana, quae de eodem Persa nunciantur. Accedente huc et illud,

quod recens allatum est: principem quoque hunc brevi Constantinopolim rediturum, ut solidiorem curam adhibeat motibus Persicis comprimendis, si forte invalescerent et procederent.

Interim tamen magna sollicitudine curant, ut omnes ejus belli expeditionisque causae submoveantur, data eorum finium praefectis commissione, omnia tentandi, quo idem Persa et desinat a tumultibus, et oratorem huc mittat, malitque amicitiam et pacem cum hoc principe colere, quam inimicitias contrahere et bellum gerere.

Quaecunque tamen illic fiunt et huc inde afferuntur, ea hic omnia, ut non admodum Turcis arridentia, variis coloribus adhibitis aliter atque aliter vulgo referuntur, sic ut veritas perinde ac vepretis quibuspiam circumsepta et obducta minus percipitur etiam a domesticis. Spem alioqui rerum illarum multo meliorum passim disseminant, et rumores fictos in populo spargunt. Nihil inde hostile, nihil periculi impendere, et rem finem laetiorem sortituram, quam praesentia pollicentur. Celantes isthaec potissimum a legatis et a reliquis Christianis hic degentibus, ne latius in diversas regionum suarum partes efferrentur.

Nec de his apertius quippiam scribere possumus, donec ex his tenebris in lucem prodeant et evolvantur, quae nunc callide et magnis artibus occultantur et adhuc in eventu haerent; vestra tamen majestas certo credat, motus hos Persae complures Ottomanorum machinas coepisse jam nonnihil disturbare, quibus et nos et Venetos vexare constituerant. Et si eos urgere idem Persa non desierit, ii et nobis et Venetis omissis, eo arma et omnem vim intendent.

Destiturum autem Persam nemo arbitratur, quum

proximo etiam mense Octobri in Armenia majore apud Buanam civitatem, quae nunc Van Turcis nuncupatur, memorabile stratagema ediderit, (quod similiter majestatem vestram caesaream, ut hic jam prorsus confirmatum, humillime scire voluimus). Ipse enimmet cum expedito milite eo usque descenderat, positusque in insidiis spatio ad civitatem non impense magno, mitti curavit ad ejus loci praesidem, qui significarent, oratorem principis sui venire, esseque jam in propinquo. Destinaret itaque aliquam armatorum manum, qui illum exciperent; et incolumem ad suum principem curaret deducendum.

Quoniam vero in civitate ipsa disposuerat Persa sibi proditores, forte idem Vanensis praeses quingentos equites memorato oratori obviam misit. Qui maturantes ad condictum locum, excepturi eundem oratorem, erumpit ex insidiis Persa, circumventisque Vanensibus, tanto numero ex eis interficit; ut dicantur, vix tot ex ea caede effugisse, qui cladis nuncium in civitatem retulissent. Persam vero vestigia horum fugientium cursu insequutum, spe urbem obtinendi proditorum opera, frustratum fuisse et recessisse. Quod praeses, tempestive accepto nuncio de caesis suis militibus, et interim patefacto etiam facinore proditorum ab uno ex complicibus, cum reliquis quos apud se retinuerat, et civitatem fortissime defendit ac servavit, et eos, qui illam hosti prodere voluerant, omnes supplicio confecit.

Quare quorsum haec Persa tanta deliberatione, tantoque conatu aggressus fuisset, si majora adhuc attentare voluisset, bene jam edoctus (quod a multis audivimus), qua sit hic princeps aptitudine et voluntate ad militaria studia. Ideo, clementissime impera-

tor, nescimus, immo nec audemus omnino, aliquid tale majestati vestrae suggerere ad agendum quippiam deliberatius in praesentium difficultatum negotio hac occasione, bene quidem opportune oblata, nondum tamen bene adulta, ne successibus falleremur, qui non omnes pro judicio et voluntate hominum semper consequuntur. Et solere Persam fere semper Ottomano causas belli exhibere, non subsistere tamen in acie, ubi is prodit.

At quum praesentis negotii tam difficilis deliberatio haud dubie et majestatem vestram et omnes tot regnorum ac provinciarum suarum proceres, non solius tantummodo Hungariae, valde habeat sollicitos, idque non immerito, quia si Turcae pro voto tandem deliberatio cederet, mox et de tota Hungaria ageretur, et Austriae, caeterisque majestatis vestrae provinciis, gravissimorum malorum principia causarentur, non alienum a re et caesarea dignitate majestatis vestrae fore putaremus, si interim, dum haec occasio adolescat et in aliquo firmiore puncto consistat, memorata deliberatio extraheretur in aliquod tempus tractatu aliquanto longiore, similibus quibuspiam rationibus:

Prohiberi majestatem vestram religione sua Christianos populos potestatibus alienae fidei a sua concedere; nec magnates caeterosque regni proceres adduci posse, ut petitioni tam durae et inexspectatae assentiri velint. Alienum quoque esse ab imperiali sua dignitate, pudorem subire manifestum, pacem amplectendo, quantumvis utilem et necessariam, ultronea regni ac fidelium suorum subditorum jactura. Principes praeterea, qui inter sese amicitiae, pacisque contrahunt foedera, esse apud omnes usitatum u

quilibet eorum honorem confoederati sui tanti faciat, quanti suum haberi velit. Eam enim pacem non esse aequam neque honestam, in qua alteruter confoederatorum alterum subjectum sibi facere studet. Et quum majestas vestra ab ejus magnitudine ad aequam et honestam pacem invitata fuerit, non decere eandem hujusmodi indecoras, difficiles et indignas memorata aequitate honestateque conditiones exigere ab amico. Itaque in priore statu permaneant, de quibus a supremo suo passa mota est ejus nomine controversia. Quaecunque autem forent, de quibus esset suspicio, ne pax ipsa diebus succisivis turbaretur, non defuturas alias rationes ad hoc avertendum, difficultatique hujusmodi aequioribus et honestioribus modis utrinque esse providendum, quam ut hic idem praesens princeps, transferendo ad se totum statum communium regni Hungariae colonorum, et confoederatum sua dimidia eorum juris parte privare, et limitibus absurdis, regnoque insuetis amicum includere vellet. Solimanum quoque imperatorem jure suo testamento legare et quovis alio modo de his statuere potuisse, quaecunque marte suo et propria sua virtute atque industria acquisivit, nec ad ea abroganda jus extendi successorum. Idcirco deditios regni Hungariae colonos, quos ipse sub tributi pensione inter se et majestates vestras nomine tributario communes fieri causam dedit, permittentibus iisdem majestatibus vestris, conditione temporum, ut alia multa, quae idem imperator Solimanus instituit, decrevit, omnino fieri voluit, et diplomatibus suis authenticis confirmavit ac rata habuit, non abrogantur ab hoc praesenti principe, immediato ejus successore: ita et hoc decretum illius de

colonis Hungariae deditiis in vigore suo, et sub sua fide inviolatum perduret ac permaneat.

Munus autem honorarium, quum non videamus modum, quod diminui possit, objiciente nobis passa ultra ea, quae jam majestati vestrae perscripsimus, illud etiam: videlicet nostra culpa eas regni partes anno superiore interceptas esse, idque justo bello, quod idem munus tempore suo non afferebatur; pluraque huc insolentius affigente et pertinacius asseverante, memoratum munus haud quaquam diminui debere, nosque oportuisse aut armis defendere, quae amisimus, quando jam bello res gerebatur, aut de deponendo eodem munere, pactis stetisse: fortasse in priore statu suo (approbante vestra caesarea majestate) esset relinquendum, ut illis hoc etiam argumento gratificatos nos fuisse videremur.

Sic demum his in hunc modum omni cum moderatione praemissis, ad largitionem, seu principi seu supremo ejus duntaxat passae, vel utrique simul faciendam descenderamus, quae non annuatim penderetur, sed semel et una sola summa exhiberetur, nec haberetur magna cura, si paulo majore fieri oporteret, sic praesentibus rebus majestatis vestrae suadentibus, nihili habendam esse pecuniam, quum caesareo honori dignitatique consulitur. Quod et amici suadent exemplo Venetorum, quos ajunt malle in pecuniis jacturam facere et opportuna tempora exspectare, quibus contra tantum hostem securius aliquid audere praesumant, quam praepropere ferocire et statum suum dubiae belli fortunae ultro objicere.

Quumque hic illud etiam in ore hominum versetur, qui defecatiore ingenio dolos atque astucias Turcarum considerant: facile posse fieri, ut fingerent sibi

hanc sollicitudinem de Persae motibus, quo effuso latius rumore expeditionis in Persiam, uti et Solimanus fecit, quum filium Muztapham sustulit, in Cyprum eam converterent, adhibitaque simul obsidioni ejus etiam classe, terra marique insula illa premeretur; quae quidem classis haud dubie apparatur, sed silenti et quodam surdo studio, omnesque loquuntur, Cyprum eos venari, huncque principem non terra sed mari bella gesturum. Quapropter si forte ita accideret, ut victoria illa potiretur, majestati vestrae valde, partim damnosum esset, si hostis postulatis cito annueret, partim quoque periculosum, si aperte eadem illi, nulla mora interposita, denegaret: humillime putaremus e re et e dignitate majestatis vestrae futurum, si totum negotium per pollicitationem largitionis et memoratas rationes in novum tractatum revocaretur. Quandoquidem ex ipsa etiam deliberatione tantae difficultatis nimis praepropera, possent eandem majestatem vestram hostes timoris arguere, elevatique in majus superbis suis animis, intolerabiliores quoque eidem sese exhibere, ut qui omnes subjectos sibi contendunt facere, cum quibus amicitiae foedera pacisque conjungunt.

Hujusmodi itaque via tentata, et omni cum dexteritate conati principem hunc et supremum ejus passam eo adducendos, ut sententiam praesentis suae petitionis mutarent, non praeterirentur alioqui etiam reliqui passae, sed supremo jam delinito et conciliato, speraremus aut omnino ab illis aequiora, seu pecuniae, seu Persae belli gratia, si forte eo se revera implicasent, aut haec ipsa saltem dilatio tale quippiam afferre posset, quod et majestati vestrae honestius, et fidelibus proceribus ac populis suis esset tolerabilius. Alioqui nec e dignitate esset majestatis vestrae si

unius passae furiis ita moveretur, ut statim voti sui faceret illum in eo compotem, quod fortasse neque princeps ejus cogitare scivisset, neque unquam exegisset, nisi ejusdem passae avaritia exstimulasset illum, qua nimirum, ut alios multos, ita et nos, pro humili nostra conjectura, ad largitionem tandem aliquam, de qua agimus, re difficili nobis proposita, perduceret, quamquam adhuc movere nos non sumus ausi sine mandato speciali. Nec enim idem passa ulla majore cura videtur aestuare, quam ea sola, ut et principem pecuniosum faciat, et suis loculis aeque consulat. Publicam de illo censuram scribimus. Utamur itaque pecuniis, si majestati vestrae clementer videbitur, eaque redimamus, quod et armis retinere difficile sit, et sine ingenti pudore ac jactura hostibus concedere nequimus. Quorum quidem vicinitas ut fuit semper infida, ita et magis cum illis dissidebimus, quanto proprius nos admiserimus illos. Nuper enim Giula et Zigetho praecipue laedebantur, nunc Agria et Canisia terebrant eis oculos, hisque duntaxat duabus arcibus omnes jam offensas imputant, earumque incolumitate totum Turcae imperium periclitari vociferant.

Quare, quum omnes ad quos harum praesentium difficultatum nostrarum vanitate Turcarum manavit noticia, ajunt nequaquam assentiendum in his esse hostibus, eos nunc pluribus de causis bello terrestri haud quaquam vacare posse, maxime autem ob annonae penuriam, quae nunc apud eos universalis esse dicitur; persisteremus itaque et duraremus in proposito, quia pacem nobiscum facere cogeretur, — cui consilio si acquiescendum erit, temperamento indigebit ne in temeritatem desineret. Verum quantulae partis Hungariae caesarea majestas vestra vocaretur

rex, iisdem dicentibus, si tanto numero colonorum eisdem hostibus permisso, nec ullo eorum jure imposterum relicto sibi, limites quoque postulatos eis concederet, e quibus tandem illam non ita multo post a tota prorsus Hungaria excluderent, et in Germaniam prospectare inciperent? Quorum omnium censura prudentissimo judicio majestatis vestrae relicta, hisque hic fine posito, nos quoque, clementissime imperator, non ignorantes majestatem vestram cum dominis proceribus suis magnopere laboraturam circa horum deliberationem, considerantes etiam ea omnia, quae praemisimus, habentesque imprimis honorem et dignitatem ejusdem majestatis vestrae prae oculis, in hujusmodi opinionem venimus de his omnibus, quae praesentibus litteris ad eandem diligentius perscripsimus; majorumque nostrorum melioribus consiliis cuncta deferentes, veniam quoque, si quid excessimus, aut audacius praesumpsimus, humillime postulamus. Vestramque caesaream et catholicam majestatem optime et felicissime valere cupimus. Constantinopoli vigesima prima Decembris MDLXVII.

XLIV.

A császári felségnek Verancsics és társai.

Ad sacram caesaream majestatem.

Quaedam alia particularia his aliis litteris ad ma- 1567. dec. 21.
jestatem vestram dare voluimus propter priorum prolixitatem. Hic princeps adhuc hoc mense proficiscetur Hadrianopoli versus mare Aegaeum ad civitatem Dimoticum, apud quam datis aliquot diebus venationibus, Hadrianopolim iterum revertetur; inde mox per extrema desinentis montis Haemi in inferiorem Misiam versus ortum facto itinere, ad oppidum Jamboly, quod a civitate Varna, ad Euxinum Pontum sita, iter diei distare dicitur, promovebit. Ubi similiter consumptis diebus pluribus venando, tandem illinc redibit Constantinopolim ad novam lunam Martii, diem scilicet primum turcici jejunii, volens hic quadragesimam sui ritus exigere.

Per hos autem dies, quibus fuit Hadrianopoli, ajunt, curiam ejus valde fuisse otiosam, quod negotiis caruerit; nos vero jam eodem paramus profectionem, sperantes tandem a caesarea majestate vestra aliquid nobis superventurum, quod utique jam dudum aliquid intelligere debuissemus, quidnam de deliberatione praesentium difficultatum istic agatur, quo nos quoque hic tempestive inciperemus cogitare, quae istic deliberatis aut deliberandis essent accomoda. Quandoquidem et ii jam hanc moram videntur ferre impatientius, et nos

humillime putaremus, dilationes nostras maturius esse ordiendas: modo prioribus expresso, si ita majestati vestrae placuisset, ne memorata deliberatio praecipitaretur, non oblata interim istic tali occasione ejus, quae majestati vestrae et suis subditis essent opportuna.

Veneti autem et Galli quonam spiritu impulsi nescimus; sed Adamus Francus nobilis Chius, majestati vestrae (uti ait) non incognitus, nobis vero et commodus et utilis in exquirendis et referendis legationi nostrae necessariis, retulit nobis: eorundem Venetorum, Gallorumque opera pacis nostrae facilitatem, quae majestati vestrae initio largissime pollicebatur, esse impeditam, et bailum praesentem, Jacobum Lorantium, inter caetera colloquia, quae cum supremo passa habuit, eidem quoque dixisse, caesaris Maximiliani potentiam levem et ventum esse. Idque ut asseveraret nobis vehementius; juramentum quoque interposuit. Nec adhuc hinc bailum Venetum, inde oratorem Gallum desistere passae identidem ejusmodi ingerere et mentem ejus subvertere, illumque prorsus a priore sententia avocare, in qua initio constiterat.

Vereri enim utrumque majestatem vestram ingens negotium et Gallis et Venetis daturam, si forte cum hoc principe stabiliorem iniisset pacem ipsis exclusis. Ab iisdem quoque per suggestionem nunciorum Transsylvani edoctum esse passam, ut et communes colonos et limites toties jam nominatos, a majestate vestra postularet, non ignorantes, quantum momenti haberet in se ista res, ut et ipsi Transsylvani a Turca limites obtinere possent, pro quibus diu jam laborant, et hanc pacem impederent, qua cogentur omnino intra fines suos consistere, et foris non grassari juxta jam prolatam passae constitutionem. Quoniam autem primis etiam litteris nostris ad majesta-

tem vestram scripseramus, Venetos et Gallos impedimenta huic paci structuros (quod ex magno loco acceperamus), si eos in eam non admisissemus: majestas vestra plane jam cernit, quomodo ista progressu temporis produntur et verificantur. Et quid pariter contra agendum erit, ut rebus suis latens hoc eorum virus nihil officiat, ipsa dignabitur clementer cogitare.

Sed ad haec habemus, quod et de Joanne Myques ad majestatem vestram scribamus, qui dum adhuc professionis esset christianae, hoc nomine utebatur, postea illectus ditissimae cujusdam Hebraeae virginis conjugio, quod offerebatur illi, si se circumcideret, assensus tandem huic methamorphosi, jam Josephus de Nassis appellatur, vir et facie et alloquio liberali, totoque habitu corporis et conversatione ad Christiarum proprior, quam ad Hebraeum, civilem in omnibus sese praebet. Is apud hunc principem, dum adhuc sub disciplina patris ageret, morareturque Magnesiae in Asia minore, assequutus certis suis officiis gratiam et familiaritatem, eo nunc existimationis apud eundem processit, ut ab eodem ducatu quoque Naxi, quae insula est in Aegaeo mari, zanziacchico jure donatus fuerit, hincque aliquanto majore existimatione auctus, prae se fert, quod etiam apud hunc supremum passam polleret aliqua peculiari authoritate.

Nos autem adhuc initio adventus nostri convenerat officii gratia, declaravitque nobis, quantopere et caesareae majestati vestrae et serenissimo Philippo regi addictus esset, velletque etiam nobis adesse opera sua, si ea in rebus vestrae majestatis uti vellemus. Quo paribus et amplioribus oblationibus nostris cumulato, incidentibus occasionibus, usuros quoque ejus opera diximus, quum progressus rerum majestatis vestrae

postulabunt. Huncque in modum eo tunc a nobis expedivimus, adhibitaque interim cura, ut intelligeremus, quantae hic idem esset authoritatis, et si posset revera juvare nostra negotia, reperimus utique aliqua, sed non omnino pro opinione, quam sibi tribuit, quia Turcae apud se homines hujusmodi non patiuntur emergere. Sed haec de conditione ejus sufficiant.

Alia jam expediemus, quae deinde nobiscum habuit. Paulo enim post discessum hujus principis ex hac urbe Hadrianopolim, nunciaverat nobis, loquutum se fuisse cum passa, incidisse quoque mentionem legationis nostrae, et quia intra illud quatriduum eum quoque oporteret sequi curiam jussu passae, esse illi quaedam ardua, quae prius nobiscum communicare vellet, quam discederet, propterea curaremus sedulo, ut possimus constitui et colloqui. Usi tunc nos subita diligentia, convenimus, exspectantesque quid dicturus esset, coepit nos quasi arguere: cur, inquiens, tam pertinaciter proposito vestro inhaeretis, cur passae non acquiescitis, cur postremo imperatori vestro non consulitis, et rebus commodisque illius non prospicitis, remissa nonnihil ista vestra pertinacia in his passae concedendis, quae petit nomine sui principis, terras nimirum quasdam non magni momenti, nec tanti esse habendas, quanti ea damna fierent, quae ex bello vobis provenire possent, si is princeps illud in vos transferret. Videtis hunc et armis et viris et opibus esse potentissimum, vos vero et omnes Christianos esse imbecilles et impotentes ad resistendum illi. Quare easdem terras concederetis illi, munus honorarium augeretis, et principes Christianos, de quibus ante meminerat, admitteretis in hanc vestram pacem cum hoc potenti imperatore ineundam. Velle hoc

ipsum hunc principem, velle Gallos, velle et Venetos, nec Philippum quoque ab ea futurum alienum. Habere se commissiones quasdam ex Hispanis (sed non specificavit quas), crebrasque illinc litteras accipere, et novas nunc etiam in dies exspectare.

Assentiremini itaque his, et pace tua vos, tum omnes vobiscum caeteri principes supranominati, quali et quanta ipsimet velletis, frueremini. Quum ego quoque non deero pro eo favore et gratia, qua sum apud hunc principem et supremum ejus passam partes et officia mea interponere, ut omnia vobis, quam commodissime fieri poterit, succedant.

Ad haec nos, impediti tunc et loco et tempore ad respondendum, quia ex navi cum eo in litore domus ejus sedente loquebamur, multis ibidem et nobiscum et cum illo existentibus, maxime vero adhaerente nobis etiam ciauso custode nostro, a quo praecipue et nos et ipse tinebamus, aliud vicissim illi subjungere non potuimus, quam: si ipse a fundamento rem a passa cognovisset nec ne, in quam tractatus nostri cursus impegisset? Respondenteque nobis non sic, ut nos animadverte et credere potuissemus, loqui eum passae instinctu, suspectum confestim habuimus, aliunde eum moveri, et potius horum quam majestatis vestrae commodis sermonem nectere; factoque nutu ad invicem, loqui nos desiimus, et colloquium nostrum aut Hadrianopolim, si tunc eo profecti fuissemus, aut in aliud tempus, quod utrisque fuisset commodius, distulimus, qui ibi tunc in turba et velut in cursu minime poteramus vacare ejusmodi rebus. Sic tandem discessimus ab illo.

Aggressi postea consultationem de his consiliis, quae nobis dabat, reperimus, ea non esse e re, ex hono-

reque majestatis vestrae, si quidem ignorare illum omnino, quanti ponderis essent terrae postulatae, nihil etiam nominatim scire de negotio limitum et communium colonorum, de augendo quoque munere honorario, deque admittendis in hanc nostram pacem principibus, quos nominaverat, nihil passam nobis fuisse loquutum. Quumque ad haec rumor etiam huc per hos eosdem dies allatus esset, vigeretque etiam nunc, designatum fuisse ad caesaream majestatem vestram oratorem ab hoc principe, nescimus in quam partem haec omnina interpretari debeamus, suspicamur tamen, quod suggesserit aliqua passae de se, quod ipse posset in his negotiis inservire huic principi, si legatus in Austriam mitteretur, quasi hactenus hic princeps nostra culpa non fuisset assequutus, quae desiderat. Ideo praemonita majestas vestra de hujus viri statu et praxibus, si forte istuc mitteretur, facilius observabit, quaenam secum afferet et quorsum intendet animum, nosque interim curabimus ut quaecunque super his poterimus, cognoscamus, vestramque caesaream majestatem ante de omnibus edoceamus quam istuc perveniet, exspectatur enim hic intra triduum, brevi denuo Hadrianopolim rediturus.

Ut autem illud etiam benigne sciat, quo pacto mentionem fecimus passae de serenissimo Philippo rege in tractatu adhuc illo, quem cum eodem ultimum habuimus, et per Eduardum ad majestatem vestram misimus. Quum enim vidimus, passam quibusdam aliis articulis annuisse, remque totius reliqui negotii nostri in difficultatem de colonis, de limitibus et de duabus arcibus Vesprimio ac Tatta incidisse, omnem insuper nobis spem ademisse, quod ejus princeps vel tantillum de eadem difficultate esset remissurus

et praeterea inculcaret etiam identidem, cogitaremus aut omnino de concedendis illi, quae exigeret, aut ad gerendum cum eo bellum arma expediremus:

Nos sperantes, quod tolerabiliores aequioresque conditiones ab eo super his obtineremus, si spem illi conjiceremus juxta instructionem nobis datam, de Philippi quoque accessione ad hanc pacem, illum adiimus, colloquutique cum eo privatim lingua croatica, absentibus etiam interpretibus nostris, revocavimus illi in memoriam, quod antea, quodam tempore dum de pace haberetur tractatus, simile quiddam ad oratorem majestatum vestrarum Albertum de Wyss protulerat, inquiens, cur tantopere pro hac una pace sudaremus, quin potius conficeremus duas uno labore, et omni ex parte tam nos, quam vos a molestiis bellicis quiesceremus. Et hoc vivente ad huc defuncta majestate acciderat, eoque passae tendebat animus, ut Philippus quoque in eam pacem comprehenderetur.

Nos vero subjungentes eidem passae, quod id hoc tempore posset fortasse jam fieri, optante principis ejus magnitudine; vestramque caesaream majestatem, ut hoc etiam testatum illi faceret, quod ad amicitiam et pacem cum illo faciendam sincerissime animum induxerit, daturam non gravate operam, ut eundem Philippum regem in hanc ipsam praesentem pacem deducat, minimeque eandem dubitare, curam hanc illi in vanum cessuram, quippe qui quum ejusdem esset patruelis, eandem colat etiam atque observat ut patrem, credendum esse, quod in hoc ei certo sit gratificaturus: idem itaque videret passa, quantum ad id princeps ejus habiturus sit animi, nobisque referat, quo nos quoque majestatem vestram celerius edocere possimus, ut ejus rei curam maturius ipsa etiam aggrederetur. Nos vero

plura postmodum eramus illi subjuncturi, si huic propositioni nostrae sperata exspectataque respondisset. Sed respondente nobis frigidissime, et sine ullius annuentis affectus significatione, usitatissima nimirum illa eorum formula, quam indunt omnibus litteris suis missilibus plenam superbiae et supra modum tumidam, videlicet: excelsam portam ejus principibus omnibus, qui ad eam veniunt, esse apertam, futuramque etiam Philippo regi, uti tanto principi, si venire voluerit. Ex quo animadversa barbari superbia, subjunximus: Philippum regem id rei nec scire, nec optare, caesaream tantummodo majestatem vestram in ejus principis gratiam ultro se offerre ad hoc tentandum, pro ea securitate quam habet cum serenissimo suo patruele. Hicque omnino nos desiimus, nec imposterum vel verbum fecimus, habita utrarumque majestatum vestrarum ratione et cura dignitatis. Nihil posthac etiam de hoc loquuturi, nisi quid prior ipse passa moverit. Idque quod antea majestati vestrae non significavimus, ea causa factum est, quod utique sperabamus, passam non ita multo post renovaturum hujus rei mentionem. Sed quia et tunc omnino ipse obticuit et silet etiam modo, nos quoque spe hujus rei posthabita, nunc tandem eam humillime ad caesaream majestam vestram perscripsimus.

Restat jam dicendum de litteris, quae per manus passae Budensis hactenus missae fuerunt, ad nos enim tardissime perferuntur, nescimusque, passae ne Budensis, an hujus supremi fit hoc malitia, a quo eas accipimus. Sed ea via ad hoc tempus non nisi binas habuimus, quarum priores datae erant Augusti die XXX. posteriores vero Septembris XIX. Redditae autem sunt, illae Octobris XV. hae Decembris XII.

Allatae praeterea sunt etiam tertiae via Veneta cum copiis querimoniarum, de quibus supra, sed et hae datae sunt Augusti XXX. Decembris tandem XI. ad nos per tot maria enatarunt. Ignari omnino cujus opera huc directae, aut a quo redditae. Sic, clementisime imperator, nisi de certioribus tabellariis constituendis cogitabitur, hujusmodi defectibus etiam ulterius non carebimus. Constituendi autem erunt particulares et occulti, quoniam hic omnes a litteris nostris, ut ab igne cavent. Cui rei, quum majestas vestra benignitate sua non dedignabitur providere, loqui nos desinimus, eandemque quam felicissime valere optamus. Constantinopoli vigesimaprima Decembris MDLXVII.

XLV.

Verancsicsnak és társainak Maximilián császár.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis 1567. dec. 24.
dilectis, Antonio, episcopo Agriensi, ac Alberto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis: simul et separatim.

Verancsics kezével: Redditae Hadrianopoli 17. Martii 1568.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus, etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles, nobis dilecti. [Ad diem decimam septimam vertentis mensis allatae fuerunt nobis ex Venetiis litterae vestrae die vigesima quarta Octobris datae; unde cognovimus,

quos tractatus et sermones habuistis cum ipso supremo passa visirio, post expeditionem Edouardi de Provisionali super iis, quae vobis per litteras nostras de penultima Augusti injunxeramus, et in iisdem vestram eximiam fidem et sollicitudinem perspeximus, quam et grato a vobis animo suscepimus. Quoniam autem per dictum Edouardum vos de benigna mente, et voluntate nostra satis diffuse et clare instruximus, et mandatis illis nostris etiamnum clementer inhaeremus, jam parum, vel nihil ferme restat ad vos perscribendum, praeter hoc unum videlicet: Ex quo adparet, frustra vos laborare de omittenda utrinque reparatione castellorum finitimorum sub praesentibus induciis et donec solida pax concludetur: quod sanius fuerit id,quod Turcae nunquam facturi videntur, acrius etiam non urgere, nisi quatenus id vobis demandabimus, praesertim cum nos exemplo eorundem Turcarum idem facere decreverimus, ac nuper primum castellum nostrum Putnak instaurari curaverimus; sed illud in futura conclusione pacis diligentissime urgeatur et silentio minime involvatur, quod proxime in litteris nostris monuimus cavendum, et expressis verbis reservandum et constituendum esse, nempe, si aliter omnino fieri nequeat, quin ad petitam destructioncm locorum ultra citraque deveniatur, ut ne Turcae tum pro iis, quae ipsi demolientur, vel eodem vel alio opportuniore loco novas munitiones construant.

Quod autem humiliter scribitis, vos interdum a Mehmeth passa asperioribus atque indignioribus verbis, quam deceat oratorem caesareum, tractari: id tribuendum est tum immensae insolentiae gentis istius, tot victoriis atque successibus, et virium magnitudine elatae, tum peculiari ipsius Mehemethis rusti-

citati atque superbiae, de qua omnes loquuntur. Cum vero non videamus, quid profecturi essetis, quando etiam vos homini acrius opponeretis, siquidem isti non rationem sed voluntatis affectus sequuntur: sanius proinde fuerit cedere loco et tempori, et non curetis illius ineptias dissimulare, quae mutari non possunt; pro vestra namque prudentia et industria poteritis etiam modeste et sine exacerbatione vel magna offensione illius, aut principis ejus, dignitatem et existimationem nostram tueri.

In caeteris fidelissimi et prudentissimi consilii vestri clementer memores erimus.] Quod reliquum est, gratiam nostram caesaream vobis benigne deferimus. Datum in civitate nostra Vienna die vigesima quarta Decembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regnorum nostrorum, Romani sexto, Hungariae quinto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. M. Singkhmoser m. p.

XLVI.

A császári felségnek Verancsics és társai.

Ad majestatem caesaream.

Jam binas priores litteras nostras clauseramus et obsignaveramus, quum don Josephus de Nassis appulit huc Hadrianopoli, idemque dato quieti triduo a reditu, postulavit nos per litteras, ut ad eum mitteremus homines nostros bonae fidei, per quos esset quaedam nobiscum communicaturus de rebus, ad prae- 1567. dec. 29.

sens munus nostrum pertinentibus. Destinatis itaque ad illum duobus secretariis, remunciavit, supremum passam pro mandato sui principis velle, ut omni mora posthabita, Hadrianopolim nos conferamus; sollicitare hunc principem, ut inceptae rei inter majestatem vestram et ipsum finis tandem imponatur; nec diutius ejusdem cura atque exspectatione teneri velle, quo aliis certis negotiis suis liberius vacare possit. Se vero arbitrari, jam brevi etiam a caesarea majestate vestra exspectatam deliberationem superventuram, passam quoque remissiorem nonnihil esse factum, et in summa pacem hos optare et maturare, neque dilationi ejus ullum jam tempus (pro sua conjectura) deinceps dari posse, quod aliis rebus gerendis urgerentur. Caeterum se aliquoties cum passa fuisse colloquutum, eumque in his multo reperisse mitiorem, quam initio sese ostenderat. Vos tantummodo pari ratione sic ad aequa accedatis, ut et ipsis aliquid remittentibus, et vobis concedentibus, ii tandem duo imperatores et pacem inter se faciant, et in amicitia coalescant. Nec defuturum se, ut quantum per ejus vires fieri poterit, in hoc ipso enitatur, quo res demum celerius componatur.

Retulerunt ad haec iidem secretarii nostri, non aperte loquutum fuisse de serenissimo Philippo rege, quaedam tamen sic inter dicendum perinde ac sub nube percurrisse, ut existimaverint, desiderare hos avidius, ut etiam idem Philippus in hac pace comprehenderetur, putamusque quod passa de industria cum hoc eodem don Josepho liberius id communicare voluerit quam nobiscum, causa fastus Turcici, ne videderetur ejus pace indigere. Don Josephus etiam, qui se valde familiarem apud Philippum esse osten-

tet, promiserit fortasse aliquid se in hac compositione praestaturum, quod alii non possent, si ipsi demandaretur haec provincia.

Nec plura ex eo assequuti sumus, quam quod in itinere uberius nobiscum colloquetur; quandoquidem ei etiam redeundum sit Hadrianopolim passae mandato, qui illum ibidem esse jussisset, quum nos aderimus. Nos autem biduo, vel ad summum triduo post kalendas Januarii eodem, Domino comite, arripiemus iter, et maturabimus omni studio, ne quid morae nostrae opponatur. Quicquid autem postea his de rebus ab eodem consequemur, tametsi valde astricte agit, nec se dilatat in sermone, enitemur tamen, ut aliqua saltem majoris momenti eliciamus, eaque ad caesaream majestatem vestram perscribere non negligemus. Quia ii sine magna aliqua causa conclusionem hujus pacis non adeo nunc tandem sollicitare incepissent, nisi aliunde plus negotii metuerent, quam a nobis. Attamen de hoc etiam videbimus diligentius, et caesaream majestatem vestram humillime edocebimus.

Praeterea quoniam in eo passa Budensis plurimum curae adhibet, ut quaecunque majestas vestra agat, ab ipso supremus passa prius omnia intelligat, quam ab aliis, quam etiam ab ipsis ejus oratoribus, dans sedulo operam, ut officia sua praecurrant aliena: videretur itaque nobis e dignitate majestatis vestrae fore, si a nemine prius hic idem supremus passa deliberationem, quae isthinc exspectatur, intelligeret quam a nobis; cavendumque esse putaremus, ne illam idem passa Budensis antea quam nos intelligat. Alioqui et litterae majestatis vestrae, quas tunc ad nos dedisset, apud eum supprimerentur, donec hunc edoceret, insinuaretque officia sua, et nos haereremus,

ut stipites, ubi is passa de eadem deliberatione loqui pergeret, nos vero ignoraremus, ad rem respondere.

Caeterum has praesentes litteras nostras (quod majestatem vestram scire oportuisse existimavimus) in Dalmatiam Sibenicum, ad Michaelem Verancium, fratrem Agriensis, per conductum hominem misimus, data eidem commissione, ut eas ad magnificum dominum capitaneum Sancti Viti de Flumine, capitaneus vero ad majestatem vestram omni celeritate perferendas curet, nec enim hoc tempore opportuniorem modum dandi ad eandem ex his angustiis litteras nostras invenimus. Quae si fideliter tempestiveque reddentur, laetabimur et utemur ea via frequentius; sin minus, cogitabimus postea de commodiore. Et sacram caesaream majestatem vestram felicissime valere optamus. Constantinopoli vigesima nona Decembris MDLXVII.

XLVII.

A császári felségnek Verancsics és társai.

Ad majestatem caesaream.

1567. dec. 7. Nos hic, uti jam binis nostris humillime perscripsimus, maxime laboramus et penuria sumptuum et difficultate inveniendi mutua. Omnes enim, qui nobis suppeditare non gravarentur, certum aliquem ordinem Venetiis constitui requirunt, quo ipsorum persolverentur cambia. Quamvis autem de hoc ipso ordine constituto vel constituendo nihildum quicquam intel leximus, certissimi tamen, quod majestas vestra clementer nostri rationem habere dignabitur, jam mi-

simus Venetias ad magnificum illum ejusdem oratorem unum cambium mille quingentorum coronatorum. Sacrae majestati vestrae humillime supplicamus, dignetur benigne providere, ut et huic satisfiat et de aliis cura habeatur. Nec enim adeo parcere sumptibus possumus, quin caritas rerum hujus loci facere nos majores cogat. Et Deus Optimus Maximus sacram majestatem vestram diutissime servet feliciter et incolumem. Constantinopoli 29. Decembris 1567.

XLVIII.

Singkhmoser Márknak Verancsics és társai.

Ad Marcum Singkhmoserum.

Litterae majestatis caesareae ad nos tardissime perferuntur, quae Budensi passae commendantur. Nec intra tempus suum illas quoque accipimus, quae venetae viae committuntur, credunturque tabellariis alienis et iis, quos vocamus ordinarios. Sic ut a die XIX. Septembris nihil prorsus a quoquam allatum est ad nos litterarum, et tametsi earum tarditas, quae unae tantum Venetiis venerunt, diuturniore navigatione excusetur propter ventorum iniquitatem (magnae enim cuidam navi mercatoriae commissae fuerant), passa certe Budensis, qui succisivis mensibus ter et quater ad Mehmettem passam veredarios mittit, excusari minime debet. Videndum itaque est, quomodo inposterum ejus fidei similes litterae committentur. 1567. die. 29.

Cum postremis autem, quae venerunt Buda, suas etiam admodum breves, gratas tamen accepimus, cognita caesareae majestatis domini nostri

clementissimi incolumitate, quiete Germaniae, oratoris Angli adventu, et salute magnificae dominationis vestrae. Quae omnia tametsi magno nos affecerunt gaudio, tamen quia a Septembri mense, quo datae sunt, multa late per orbem nostrum accidere potuerunt, ut apud Gallos, qui jam hic apud hos regem etiam suum sustulerunt, et apud Belgas, ubi dux quoque Alva tot convivas Ugonottas (si rumoribus, qui e tam longinquis regionibus afferuntur, credendum sit) caedi propinaverit: paulo uberiores ab eadem optaremus, quum nos utique de his quae geruntur hic, pleniore aliquanto scribere calamo non intermittimus, quippe qui ita rerum novarum, quae apud vos, et per totam Christianitatem incidunt, jejuni sumus, ut aeque nusquam gentium, nullo unquam tempore magis fuerimus, putamusque quod domi nec propinquos nec amicos reliquerimus. Magnificam itaque dominationem vestram rogamus; ut ipsa saltem litteris loculentioribus velit aliquanto haec jejunia nostra imposterum sublevare, et si forte hoc non liceret illi characteribus legitimis (uti non licere scimus), licebit notis caesareis, a quibus nos etiam opem mutuati, partibus nostris insistere contendimus, ne quas nos desideramus ab amicis, eas ipsi a nobis desiderare possint.

Igitur quod ad praesentes horum res et curas attinet, summa sollicitudine et artificio de expeditione suae clasis rumores hactenus alternarunt; modo eam se emissuros, modo non; modo eandem sedulo apparare, modo ita ab apparatu ejus cessare, ut interdum aliquot triremibus, e navali in mare extrusis, mox denuo in navale recceptis, nullus etiam operum ibidem fervor cerneretur. Similiter variata sunt vulgo loca etiam, contra quae proficisci debuiset. Nunc accepto nuncio ex Africa, quod Philippi classis uno

excursu tota ora Algeri depopulata magnam quoque in biremibus et navibus loci ejus praesidiariis fecisset praedam, ipsi tanto damno occursuri, suae similiter expeditionem palam edixerunt, sed incerto numero triremium. Jamque eo ciausos in Asiam miserunt, quo remiges evocent Costantinopolim.

Veneti solertes, nec segnes in periculis, metuentesque magis silentem et simulantem, quam latrantem et ferocientem hostem, manifeste solliciteque interim Cyprum et militibus et operibus instruunt ac muniunt. (Quicquid soli poterunt, si soli Cyprum contra tantum hostem tueri conabuntur.) Quo ii tam magno nec dissimulato apparatu nonnihil repressi, desierant etiam haud dubie praecipitare in eos fulmina, uti inceperant, adhibentesque interim aurem quoque non solum alteram, sed etiam utramque motibus Persicis, qui necdum mitiorem dant de se significationem, difficile est omnino ex hac varietate silenorum veritatem rei eruere. Sed quia dicunt alii centum, alii quinguaginta, nonnulli plurium triremium futuram, exituramque non totam integro numero, sed disjunctim per partes, ut minor appareat, et hoc dolo fallat eos, in quos est decreta. Ubi non deest multorum conjectura, Cypro timendum esse ab hoc dolo. Ajuntque, quod hic princeps, ab insula Cypro velit gesta sua auspicari, ut a Rhodiensibus auspicatus est pater, idque etiam propterea, ut Rhodo ac Chio Cyprum quoque adjungat et redigat in suam ditionem, quo a Syriae et ab Aegypti littoribus liberos et juris sui Christianos vel procul vel subditos habeat.

De Persa hisdem ferme astutiis varie multa comminiscuntur et in publicum spargunt. Motus enim ejus etiam nunc occultant; non desistunt tamen de venturo illius oratore adhuc somniare et garrire, et

quum idem orator nondum appareat, Persaeque vicini populi, ut Babilonii, Caramani, Curthi, Armeni et Iberi vulgo Iveri, Giorgianique nominati, ac plures alii, qui sunt in illis regionibus Ottomanarum partium, ferme quotidie ab hoc principe et consilium et opem rebus suis per creberrimos nuncios implorant: magnifica dominatio vestra videat, quantum figmentis horum sit credendum. Quibus quum sibi ineptissime blandiantur, nobis vero aliis apertissime mentiantur, quid ab eorum latrociniis non sit metuendum, quid sperandum quoque aequitatis ?

De nobis autem non aeque ac de Persa volunt videri esse solliciti, curantque maxime, ut id credatur eis, quod et proprius, et majore vi nobis immineant, jamque etiam securi prope de nostra pace, nihil propterea restare sibi ad debacchandum secure contra quosvis Christianos arbitrantur, si cum Persa tantummodo in amicitiam et pacem devenient; ajunt enim nos et opum et virorum et armorum pollere copia, minus tamen illis esse timori, quod pluribus imperiis distracti multiplicique libertate elati, nec unitatem nec obedientiam habeamus

Et ne hic privata quoque nostra omittamus. Bene Dei beneficio omnes valemus et nos ipsi et familiae nostrae. Saurerus etiam juvenis (quod parenti ejus referri cupimus) jam assurgit, pedes exercet et in pristinam habitudinem corporis reficitur. Quo si reliqua nostra licet nobis ascribere, ut necessitas animat: sumptibus sane et infirmi et invalidi sumus, exspectamusque magna fiducia, ut jam nobis ad binas nostras, quas super hiisdem sumptibus ad caesaream majestatem dedimus, gratum, clemens et munificum responsum veniat, in quo ut nobis etiam magnifica dominatio vestra per

stra per occasiones patrocinetur, etiam atque etiam rogamus, idque curando duntaxat, ne isthaec res nostra inter tot caesareae majestatis negotiorum agmina penitus oblivioni detur. Et si quid in his ad magnificam dominationem vestram datis fuerit, quod non fuisset in caesareis, referet suae majestati. Et felicissime valeat, utaturque etim ipsa nostris officiis. Constantinopoli vigesima nona Decembris MDLXVII.

XLIX.

Verancsicsnak és társainak Maximilián császár.

Reverendo devoto, ac nobilibus, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Albérto de Wyss, et Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, consiliariis nostris ac oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum ablegatis. 1568. január 5.

Verancsics kezével: Redditae Hadrianopoli 13. Februarii 1568.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobiles, fideles, nobis dilecti. Intelleximus non solum a strenuo nostro et sacrii imperii fidele dilecto Lazaro de Schwendy nostro consiliario, et in superioribus regni nostri Hungariae partibus supremo exercituum capitaneo, sed ex aliis quoque compluribus locis, emanasse haud ita pridem passim per Hungariam et Transsylvaniam, tam apud Christianos, quam Turcas maximam famam, (auctoribus procul dubio malevolis nostris, et

hominibus malignis, perditis atque a publica pace et tranquillitate alienis) praefatum supremum capitaneum nostrum ex improviso cum exercitu ac tormentis bellicis et necessariis apparatibus movisse ad oppugnandam arcem Hwzth, vel aliud quidpiam contra illustrissimum Joannem Sigismundum ducem, serenissimi quondam regis Joannis filium moliendum. Quam ob rem, idem dux implorato Turcarum auxilio. se ad defensionem parabat, cum tamen ne in mentem quidem venerit vel nobis, tale. quidpiam in hoc inducіarum tempore, quo de pace potius quam de bello cogitamus, vestraque opera cum serenissimo Turcarum imperatore tractamus, dicto supremo nostro capitaneo mandare, vel illi, absque jussu et mandato nostro suscipere, utroque nostrum in id maxime intento, ut interea, donec negotium hoc pacis, Deo bene juvante, feliciter concludetur, in confiniis omnia sint quieta et pacata, induciaeque firmiter et sincere observentur. Quos quidem falsos rumores, quum vereamur, ne isthuc quoque penetraverint: vos per praesentes clementer edocendos duximus, talia omnia contra veritatem temere atque imprudenter esse conficta, et omnes nostros limitaneos praefectos et capitaneos a nobis in mandatis habere, ut inducias strictissime et inviolate servent, et si quid ejusmodi habuissemus in animo, utique non dimisissemus tot cataphractos equites et pedites Germanos, quos spe futurae pacis dimisimus. Quocirca vobis nunc benigne committimus, ut si contigerit ea de re vos interpellari, aut vobis alias consultum videbitur id ultro quoque fieri, constantissime asseveretis, ista omnia mera esse figmenta, postulando ne vel ipsemet serenissimus Turcarum imperator, vel passae vesirii consiliarii ejus istius-

modi commentis, vel nunc vel in posterum aures et fidem adhibeant, sed in nostra integritate plane conquiescant. In quo exequemini benignam et expressam voluntatem nostram. Datum in civitate nostra Vienna die quinta Januarii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, regnorum nostrorum Romani sexto, Hungariae quinto, Bohemiae vero decimo nono. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. M. Singkhmoser m. p.

L.

Mehmet nagyvezírnek Verancsics és társai.

1568. Porrectum est hoc scriptum domino su- 1568 jan. 26.
premo vezirio Mehmet passae Hadrianopoli die XXVI. Januarii.

Illustrissimo signor passa.

Li mesi prossime passati essendo comparsi noi ambasciatori della magiestà d' imperatore di Romani alla presenza de vostra illustrissima signoria per conto della pace, la quale s'ha comminciato a trattare fra il suo invictissimo imperatore zultano Zelymo, e fra Massimiliano Segondo imperatore e signore nostro. Et expostoli prima, quanto havevamo in commissione da sua magiestà, poi ancora intesa la risposta e la dimanda de vostra illustrissima signoria, che ne fece per nome del invictissimo suo signore sopra li subditi dediticii, tributarii e communi d' Ongharia, che già da tanti anni sono stati in poter de tutte due parti con certe constituzioni e modi; e che adesso per nissun

conto dovessero pagare e prestare servizii alla parte d' essa magiestà del nostro imperatore.

Sopra che non havendo noi la commissione di far fine conclusivamente e concedere, quanto si chiedeva, mandassimo tal difficultà alla deliberazione di soa magiestà cesarea, perchè cussì ne haveva commandato di fare intravenendo la detta difficultà nel trattato.

Adesso essendo arrivata la deliberazione da soa magiestà, che si aspettava, ne piacendo quella si a questo invictissimo signore come alla vostra illustrissima signoria, già chiaramente havemo inteso. Et in verità non solamente noi se troviamo molto perturbati, ma ancora la soa magiestà cesarea sopra modo se ne dole, che desiderando di venire con esso gran signore nella confederazione et vinculo de pace, non le habbia potuto compiacere in questa soa dimanda e ciò per le cause quì di sotto scritte.

Sa molto bene la soa altezza, quanto importa a tutti li principi di conservarsi nella dignità, nel honore e nella riputazione, la quale e li antecessori soi li hanno acquistato, e per se stessi ancora augmentato et accresciuto, per il que sogliono mettere al periculo non solamente le soe facultà e li soi regni, ma ancora le proprie vite loro, per non patir al mondo e fra li soi pari qualche dishonore et infamia.

Ove obstando alla soa magiestà cesarea la religione di far, quanto è dimandata, non essendo ne modo ne via, che possa sottomettere volontariamente tanti populi de soa fede a la fede contraria della soa.

Obstandoli ancora il giuramento, che ha fatto alli Onghari nella soa coronazione, che li defenderà e conservarà nelle antiche libertà e privilegii della

nobiltà loro. E, che pur una minima parte del detto regno per soa propria volontà et absoluto suo potere non alienarà per nissuna via ne modo in altre genti e nazioni.

Obstandoli medemamente le confederazioni, che tiene con li principi d' Alemagna, che sono di grandissima importanza d' honore e di fermezza delli communi stati, che ha con essi loro. Ove se qualche parte dalla detta Ongharia alienasse cussì, come' è chieduta, metterebbe in pericolo tutti li altri soi regni e provincie, che ha. E sollevarebbe contra di se una infinità di principi cristiani, ne restarebbe senza molta infamia e jattura d' honore appresso tutta la Cristianità.

Oltra di questo, li soi ancora istessi popoli venerebbono nelle sedizioni, e ferebbono rebellioni dalla fede et obedienza di soa magiestà, vedendolà cussì restata sola, e re quasi d' una spana di regno d' Ongharia. Ne li mancarebbono tante persecuzioni da mille bande, che non potria resistere per nissun modo a tante adversità, quante li nascerebbono, s'el commettesso un errore cussì fatto.

Più altri obstaculi potessemo raccontare appresso questi nel presente negozio. Ma per abreviar il molto raggionare, li lasciamo, pensando che questi fussero detti a bastanza, come grandi, legitimi e verissimi al giudicio d' ogni potente e savio principe. Per la qual cosa noi a nome de soa cesarea magiestà pregamo la vostra illustrissima signoria, voglia interponersi appresso la altezza soa, e far tanto con la autorità e prudenza soa, che con maggiore e più propenso animo abbrazzi il detto invictissimo imperatore, lasciando da canto per adesso nella pacifica-

zione questa soa dimanda, si dura e difficile a soa magiestà cesarea per le cause di sopra dette. E conceda la soa altezza benevolmente, che li detti subditi dediticii, tributarii e communi rimangino nel pristino stato, serviendo e pagando a tutte due parti, non due pelle, come alcuni dicono, ma la metà de una, come fina mo per la convenzione, sotto la quale s' haveno fatto dediticii, dividendo li censi et altere entrate, che dovevano a loro natural padroni, in due parti. Delle qual una dessero al gran signore, e l' altra al nostro imperatore et a soi padroni.

Faccianosi poi li commissarii de l' una e de l' altra parte di numero eguale e di bona conscienza, li quali con la autorità del signor passa di Buda, e del supremo capitaneo, che soa magiestà crearà per tal effetto, vadino e rivegano personalmente tutti li confini, e cussì mettano in tali luochi li termini fra una e altra parte, delli quali si contentarano tutti dua imperatori. Nè quelli termini doveranno trapassarsi ne da vostri ne da nostri soldati armati, eziandio se li detti communi subditi recusassero tal volta di pagare e servire si alla vostra come alla nostra parte. E coloro, che faranno il contrario, siano puniti in effetto, de qualunche parte saranno, cioe soldati o Turcheschi o Cristiani. Et alli detti communi subditi si limitarà el modo e li tempi del anno, nelli quali essi istessi porteranno e quà e là quello, che saranno obligati, senza che in ciò se intromettino li soldati et ogni altra sorte de homeni, che poco si curono della stabilità di pace, ma soli vostri tresorieri e nostri homeni, che faranno per il invictissimo signore e per quelli, alli quali pertegneranno le dette entrate e servizii.

Il che quando la soa altezza si contentarà di

fare per la soa grandezza e per affezzione, che porta al nostro signore, non li venerà a meno niente di quelle utilità e frutti, che fina mo da quelli subditi communi ha havuto e perceputo, ma ancora tanto maggiormente si conservarà la pace, che fra le due magiestà si concluderà, e quella sarà et honesta et ugvale, quando si farà in questa maniera.

E la vostra illustrissima signoria, piaciandole, sia contenta di ottenere a soa magiestà cesarea tanto favore dal suo invictissimo imperatore, acciò conceda, che le cose di queste ville communi restino in questo stato presente. E facciassi poi la detta pace o per anni otto o per dieci, o per tanti, per quanti piacerà alla soa altezza, la quale dal nostro signore per insino, che la detta pace durerà, ogni anno sarà visitata con lo già constituto et ordenato presente honorario di trenta millia ducati onghari d' oro, come prima. Et oltra di questo con altro presente, che sarà degno si del dante, come del rizevente.

Ne tralascierà soa magiestà cesarea di remunerare ancora la opera e la fatica de vostra illustrissima signoria, la quale haverà prestato e sostenuto in questa composizione della detta pace, tanto necessaria si a tutti dua imperatori nostro e vostro, come anco alla quiete e tranquillità di misera e già vastata Ongharia.

Spettamo la desiderata risposta da vostra illustrissima signoria, quale Iddio conservi in bona prosperità.

LI.

Ugyanannak ugyanazok.

Illustrissimo signor passa.

1568. jan. 28. Perchè par, che la vostra signoria illustrissima è molto sollicita, che quando già, Iddio vogliando, sarà fatta e conclusa la pace tra questi dua imperatori nostro e vostro, sià ancora ben osservata della nostra parte. Noi dicimo sopra questo, che tutto quello, che la magiestà del nostro imperatore prometterà per la fermezza della detta pace, osservarà ancora constantemente, se parimente si farà dal canto della vostra parte.

E per accertarvi di quello, che dicimo, un altra volta arrecardamo la vostra illustrissima signoria del fatto di serenissimo re Philippo, che piacendo alla altezza del imperatore vostro la soa amicizia e pace, noi promettiamo, che la magiestà del imperator nostro s' adoperarà di condurlo seco in questa presente confederazione, et ha ancora certa fermezza di prestar effettuamente tutto quello, che con soa regia magiestà trattarà sopra questo.

Poi senza dubbio l' altezza del vostro signore consequirà (come noi pensamo) doi cose d' importanza alli soi disegni. Prima: che havendo pace con lo imperio e con la Spagna per l' opera del nostro signore, resterà sua altezza securissima si delle arme d' esse nostro signore, come da quelle del re Philippo, e cussì ne questo tempo di detta pace, e per terra dalle bande

nostre e per mare da quelle di Philippo re, tutte le dizioni de soa altezza vostro signore rimanerebbono e starebbono quiete e tranquille a suo piacere.

Ne altro al par di questa sua opera tanto amichevole e proficua alla altezza del suo signore, la magiestà del nostro desidera raguaglio, cha suol, che li sia bon amico e confederato; e che lasciando tutte le ville communi d' Ongharia nel stato, nel quale sono state fina mo, concludassi al fine la nostra pace in questa maniera, ne dubiti la vostra illustrissima signoria, che dippoi più chiaramente conoscerà e vedrà, quanta utilitate e contentezza recarà al suo proprio principe.

Ne dicendo noi altro in la presente carta, pregamo al fine la vostra illustrissima signoria, che ne voglia exaudire, e talmente deliberar e constituir el stato di questa pace, che la magiestà del nostro signore molto maggiormente sia inclinata alli appiaceri, si de vostra illustrissima signoria come anco della altezza del suo potentissimo et invictissimo imperatore. Allo quale pregamo ogni bene.

1568. Expositum oretenus hoc scriptum est domino supremo vezirio Mehmet passae Hadrianopoli die XXVIII. Januarii.

LII.

Verancsics és társai Mehmet nagyvezírnek általadják a tervezett békepontokat.

1568. febr. 21 Maximilianus Secundus, etc. Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium universis. Quod quum nos ab ineunte aetate nostra summa sedulitate ac summo studio, imprimis salutem et conservationem, deinde quietem et tranquillitatem non solum publicam, divina adjuti bonitate, sed etiam afflicti, oppressi et prope jam penitus evastati, redactique ad extrema regni nostri Hungariae continuis bellorum aeque intestinorum atque externorum calamitatibus, procuraverimus, nec quicquam nunc etiam habeamus antiquius magisque animo versemus, quam ut et privatis regnis ac provinciis nostris prodesse et publicis statibus totius Christianitatis, quoad sese extendunt nostrae vires, beneficio per omnem aetatem nostram more majorum nostrorum esse possemus. Sed interim, quia domesticarum quaque publicarum discordiarum pertinacia impediti ac distracti, factum est, ne ea consilia atque conatus prosequeremur, quos non dubitaremus, divinae mentis ope accedente, fore omnibus proficuos, si universaliter tota respublica Christiana, magis de communi pace, utilitate atque concordia, inter sese concilianda cogitaret. De his tamen utcunque alii apud se opinabuntur et studium super hoc ex aequo statuent sibi esse suscipiendum: nos nihilominus

imperiali nostro muneri tota mente interim intenti, eam quietis, tranquillitatisque et salutis omnium illorum, ad quorum gubernationem vocati sumus, geremus curam, quae et a conditione temporum haberi poterit et ratio Christianorum statuum, non ita inter sese, ut optaremus, cohaerentium*). Itaque habita consideratione causarum pacis octennalis, quam serenissimus quondam princeps dominus Ferdinandus Romanorum imperator augustae recordationis, genitor noster charissimus et observandissimus cum serenissimo principe domino sultano Solymano, imperatore Turcarum ac Asiae, Graeciae etc. post multas, difficiles et diuturnas bellorum concertationes, per varios similiter et longos tractatus, hinc inde oratoribus destinatis transegerat, sic temporibus illis exigentibus; nos quoque hiisdem moti atque inducti causis, quas pari ratione haec etiam praesentia tempora, nihil ab illis discrepantia,**) eadem via et Hungariae et caeteris regnis ac provinciis nostris prospicere volentes, accidit: ut mox ab obitu ejusdem serenissimi quondam imperatoris, domini genitoris nostri charissimi et observandissimi, per nobilem, fidelem et dilectum Albertum de Wyss, consiliarium et oratorem nostrum Constantinopoli residentem edoceremur, serenissimum principem Solymanum imperatorem Turcarum jam defunctum, ad amicitiam et pacem nobiscum faciendam esse inclinatum, cupereque, ut ad felicem ejus portam oratores nostros mitteremus, Nos quoque, ut eadem regna et provinciae nostrae, maxime vero ipsa Hungaria quiete tranquillitateque fruerentur, cessarentque aliquando in miseris earum populis depraedationes,

*) Kimaradt: ‚suadet' vagy más rokonértelmü szó.

**) Itt is kimaradt az összefüző ige.

captivationes, caedes et multiplices aliae terrarum illarum vastitates atque aerumnae, non dissimili voluntate animum induximus: sicuti eidem charissimo domino genitori nostro in imperium et in reliqua regna ac provincias domus nostrae successimus, ita et in amicitiam et pacem, quam idem dominus genitor noster cum praenotato serenissimo quondam imperatore Solymano tenuerat, succederemus, eamque sinceriter, usque ad finem constituti jam antea octennii sub iisdem conditionibus, quibus cum serenissimo quondam domino genitore nostro inita fuerat, continuaremus. Eaque transactione redintegrata inter nos paternae pacis, confirmata ac ratificata mutuis et authenticis litteris, nos haud dubio pro nostra parte clare comprobavimus, quod eandem pacem re ipsa aggressi observare, optimo etiam ac sincero animo iniveramus. Quia mox ab altera, nimirum hinc a Joannis regis filio, inde a Temesiensi beglerbegho perturbati, vexati ac lacessiti bellicis tumultibus, et per duos annos, sexagesimum quartum et sexagesimum quintum, bona nostra ac eorum praesidia cum armatis insectati, omnia, quae illis in partibus nostri juris sunt, hostilitate compleverant. Vicissim nos quoque sic inopinate circumventi occupatique sollicitudine non exigua, etsi eo tunc, necessitate compulsi, arma caperemus, partim pro tuenda dignitate et existimatione nostra, cui deesse nec potuimus, nec debuimus, partim etiam ad inhibendam talium grassatorum in ditiones nostras, memorata pace violata, irruptionem: illud tamen sedulo curavimus, ut serenissimi Turcarum principis, confoederati nostri, nulla usquam terrarum pars armis nostris vel infestaretur vel attingeretur hostiliter, verum qui in nostras fecerunt impetum, propul-

sarentur; nos illaesam pacem servavimus, suscepta interim pro divino et humano jure duntaxat defensione nostri regni, vim vi repellendo, nec cuiquam hostilitatis aut inimicitiae ansa praebita. His causis impedito cursu et observantia pacis, latius ejusdem Transsylvani et Themessiensis beglerbeghi turbulentiis bellum contra nos exarsit. Protestatique eotunc et ipsis duobus omnium hujusmodi turbarum authoribus et imperatori Selymano eorum principi, nos quoque coacti sumus, copias hostibus opponere et eorum vim inhibere, tuerique quantum potuimus, ne terrae ac subditi nostri damnificarentur. Sic flagrante inter nos hunc in modum bello minime exspectato, nobisque non offensive sed tantummodo defensive arma agitantibus, et animis multorum hinc et inde acerbiora meditantibus, quos indignitas rei incenderat: serenissimus idem Turcarum imperator, quem hi motus non latuerant, et scripsit et nunciavit nobis, cupere se, ut utrinque ab armis discederetur et revocarentur exercitus, inireturque ratio, ut controversiae hujusmodi compositione sedarentur. Tunc quoque nos serenitati ejus, cujus voluntatem semper magni fecimus, benevolenter gratificati sumus, esto quod per eos tumultus pulcherrimas occasiones ulciscendi injurias a Transsylvano acceptas, illumque bona etiam parte eorum, quae possidet, multandi prudenter praetermiserimus, ut eidem serenissimo imperatori Solymano declararemus, quo animo et amicitiam ejus et foedus, quod nobis cum eo intercedit, amplecteremur, nempe et commoda nostra intermittendo et ad tales injurias, damnaque connivendo. Dumque nos omni constantia et sinceritate paci studemus, cavemusque ne quid a nostris committatur, quo de nobis queri posset, si vel arma deposita

resumerentur, vel controversiarum compositio, ad quam eramus invitati, impediretur: haudquaquam nobis pari studio atque officio responsum est ab eodem Transsylvano, cui quum imperatum fuisset mandatis ejusdem principis, ut ipse quoque manus ab armis contineret, et sese controversiis componendis accommodaret conquiesceretque, non paruit, sed potius neglectis ac plane contemptis mandatis atque imperio tanti principis, denuo mox exercitu conscripto, ditionem nostram, ultra Tibiscum sitam, aperto marte invasit, et oppugnavit plures ejus arces, quasdam vero etiam cepit et solo aequavit. Atque eodem Transsylvano cum finitimis Turcarum copiis contra nos, contra foedus pacis et contra Turcarum principis imperium perpetrante hujusmodi, conatu quanto maximo potuit: nos ne tunc quoque recessimus a studio gratificandi eidem principi, missoque ad eum per eosdem dies egregio, fideli et dilecto Georgio Hozzwtothy, oratore nostro, nihil eorum praetermittentes, quae ad redintegrandam, solidandamque cum eodem tum pacem, tum amicitiam, ad edocendumque quantas injurias, damnaque per ejus serenitatis indulgentiam sustinemus, qua et Transsylvanus et Themesiensis beglerbeghus insolescebat, qui viribus suis Transsylvanum ipsum adjuvabat et cum illo pari ferocia ac fiducia audebat et nos et fines nostros populari ac vastare, locaque alia atque alia oppugnare et ad deditionem sollicitare, variis quoque accusationum figmentis excogitatis, ipsum insuper imperatorem Solymanum contra nos permovere conabantur, quo primum ea pax inter nos non coalesceret, deinde ut armatus quoque nos et regnum nostrum invaderet. Unde et factum est, quod ea nostra legatio nec excepta, nec exaudita, ne-

que etiam habita sit, quemadmodum merito debebat, quia sinceritatem animi nostri erga eundem principem testabatur. Nec omnino progressus memoratae pacis successere, consequutaque in Hungariam expeditione anno sexagesimo sexto, cui ipsemet princeps praefuit, et affecit regnum nostrum vastitate prope extrema, prorsus tandem de spe ejusdem pacis continuatione*) actum est. Quia his bellorum difficultatibus, culpa Transsylvani suscitatis et in medium productis, eadem pax nec realem effectum ullum sortiri atque obtinere, nec ipse etiam Turcarum princeps ab adversa parte nimis de his persuasus, quibus apud eundem deferebamur, ad aequitatem nostram ulla ratione converti potuit. Verum eodem videlicet imperatore, in ea ipsa expeditione apud Zigetum rebus humanis exempto et immediate ad imperium ejus serenissimo filio suo sultano Selymo evecto, utcunque ista sese habuerint et fuerint nobiscum agitata illius patre superstite, quae praeterierunt et sic acciderunt, ut divinae visum est majestati. Nunc tamen, quum idem sultanus Selymus jam paternum arripuisset imperium et feliciter imperaret, seque promptum paratumque esse ad ineundam, contrahendamque nobiscum amicitiam et pacem declarasset, et quae est ejus humanitas, etiam obtulisset, quatenus oratores nostros ad serenitatem ejus misissemus: nos etsi tam antiquarum, quam veterum, earumque etiam, quas jam enumeravimus, injuriarum, damnorumque a Transsylvano et a Themesiensi beglerbegho sub ista octennali pace acceptorum vel memoria ipsa turbabamur: tamen considerantes famam de illius virtutibus, quae jam latissime praedicantur,

*) Igy, tollhibából, ‚continuandae' vagy ‚continuationis' helyett.

quodque ad hoc tempus cum eodem nihil unquam rei, nihil inimicitiarum habuerimus, fidentesque propterea, quod serenitas ejus nec relationes commentitias admittet ad suas aures, nec ullo modo patietur, ut foedera quae cum vicinis principibus percusserit, a suis sive beneficiariis, sive subditis, quoad superstes fuerit, violentur, aut quovis modo seu colore transgrediantur ut non ita pridem: concessimus, simul cum serenissimis et charissimis fratribus nostris Ferdinando, Caroloque archiducibus benevolenti animo in eandem voluntatem de pace cum ipso serenissimo imperatore Selymo ineunda et contrahenda, nosque obtulimus, quod primo quoque tempore mitteremus oratores nostros, ad eam tractandam in excelsa porta ejus; volentesque omnino promissis nostris satisfacere, die vigesima quinta mensis Junii, anni praesentis*) millesimi quingentesimi sexagesimi septimi ex arce nostra Posoniensi ad eundem Constantinopolim misimus reverendum Antonium Verancium episcopum Agriensem ac nobilem Albertum de Wyss et Christophorum a Teuffenpach in Mairhofen, consiliarios et oratores nostros, fideles dilectos, pleno et sufficienti cum mandato, ad eandem pacem certo, firmo et constanti aliquo cum effectu tractandam, ineundam et concludendam aequis ac honestis conditionibus pro utraque parte, his tamen attentis cautionibus, quas in instructione praescriptas a nobis acceperunt. Post itaque tractatum longiorem aliquanto, quam sperabamus, ob quasdam difficultates graviores hinc inde causatas, quem iidem oratores nostri cum magnificis passis, ejusdem principis summis consiliariis habuerant,

*) Ha ez nem iráshiba, ‚praeteriti' helyett, Verancsics még 1567. vége felé tette fel a békepontokat.

pacem quoque memoratam ad annos octo proxime sequentes, et a die, qua datae sunt patentes nostrae litterae, partisque alterius confirmatoriae, numerandos, sub certis quibusdam, utrique parti examinatis, approbatis, decretisque conditionibus, hic inferius expositis, perfecerunt. Nos vero ejusdem pacis conclusione et conditionibus suis visis, lectis et consideratis, cupientesque quantum a Deo datum est nobis facultatis, securitati, quieti et tranquillitati publicae, imprimis autem afflictissimi regni nostri Hungariae et partium ei subjectarum, magnis et continuis multorum annorum cladibus jam desolati, exhausti ac pene funditus eversi, esse consultum, praenotatam pacem et omnes ejus conditiones atque articulos per eosdem oratores nostros cum dictis magnificis, summis passis ac veziriis, nomine et loco serenissimi ipsorum principis sultani Selymi agitatam et conclusive tandem factam, firmatam et constabilitam pro nostra et serenissimorum supradictorum fratrum nostrorum parte ratam, gratamque habentes, his praesentibus litteris nostris approbavimus et confirmavimus, ac ipsum etiam illustrissimum dominum Joannem Sigismundum, Joannis quondam regis filium, cum Transsylvania comprehendi consensimus, prout per praesentes ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, et omni meliori modo ac forma, quibus possumus, ratificamus, approbamus et confirmamus, quatenus tum idem quoque serenissimus imperator Turcarum Selymus litteris suis confirmatoriis in eodem pacis negotio, nostris his per omnia similibus et congruentibus, nobis respondebit, ut ipsa scilicet pax, sic ultro citroque datis et acceptis memoratis litteris confirmatoriis, fide et verbo imperatorio ac regio corroboratis, debitum

eadem pax vigorem, certumque et realem obtineat effectum, declarantibus et pollicentibus nobis, quod non solum cum praefato serenissimo imperatore Selymo sed etiam cum ipso duce Joanne Sigismundo bonam et sinceram memoratam pacem fovebimus ac servabimus, in quantum vicissim ipsi quoque nobis mutua sinceritate et integritate correspondebunt. Ita ut quilibet nostrum aequaliter ad hujus pacis observationem adstrictus et obligatus sit juxta has conditiones infrascriptas.

*) Imprimis decretum est, ut haec pax inter nos ac serenissimos archiduces Austriae, Ferdinandum et Carolum fratres nostros charissimos ab una, et potentissimum ac serenissimum sultanum Selymum, Turcarum imperatorem parte ab altera inita, facta et conclusa in annos octo**) proxime sequentes, per hoc totum tempus, inter nos videlicet ac utriusque partis regna, provincias, principatus, dominia, urbes, terras, oppida ac loca tam terrestria, quam maritima, omnesque et subditos et milites eorum, mutua, bona, vera, firma, constansque et sincera esse debeat, eaque a nobis juxta conditiones suas infrascriptas vere, sancte et inviolabiliter colatur et observetur. Videlicet, ut nos statim a data ab emanatione et publicatione memoratae pacis, et ejus transactionalibus litteris mutuo confirmatis, iisdemque ab utraque parte datis et acceptis, universis et singulis capitaneis, praefectis, officialibus, caeterisque omnibus ordinum bellicorum ductoribus, nec non militibus ac subditis, et quibusque aliis finitimis nostris, serio, districte et sub poena capitis mandemus, ut ipsi quo-

*) A Millernél e helyett előforduló ‚1567.' év nem Verancsics Antal„ hanem Faustus által iktattatott ide hibából.

**) Eredetileg ‚decem' állott.

que pacem hanc firmiter, sancte et inviolabiliter observent.

Similiter etiam ne passis, beglerbeghis, sangziachis, vajvodis, praefectis, officialibus et quibuslibet aliis capitaneis, belliductoribus, militibus, ministris ac subditis, cujuscunque gradus, conditionisque fuerint, vel quocunque nomine seu titulo vocabuntur, quibus idem Turcarum princeps dominatur.

Nec praeterea illustrissimo duci Joanni Sigismundo ac Transsylvaniae et caeteris bonis, quae ubivis locorum possideat, neque etiam Moldaviensi ac Transalpinensi vajvodis arma, vim ac hostilitatem inferant, eosdemque lacessant, sed potius cum iilis pacem et bonam vicinitatem conservent. Qui vero secus fecerint, in tales juxta jam promulgatum de observatione hujus pacis decretum serio et poena capitis animadvertemus.

Secundo. Vicissim decretum est, ut omnia regna, provinciae ac dominia nostra, et quaecunque in Hungaria ultra, citraque Danubium ac Tibiscum, et in Dalmatia, Croatia, Sclavonia, aliisque in pluribus partibus, simul cum eorundem juribus, nos cum antedictis fratribus nostris charissimis, ac etiam cum subditis nostris habemus, possidemus et nostrae sunt potestatis, ea in futurum quoque vigore praesentis pacis cum universis suis pertinentiis, urbibus, civitatibus, oppidis, arcibus, castellis et locis universis, tam terrestribus, quam martimis et aquaticis, cum eorundem proventibus, censibus, decimis, servitiis, aliisque omnibus similibus emolumentis et quibuscunque bonis mobilibus et immobilibus, nobis ac etiam subditis nostris salva, libera et prorsus ab omni tum ipsius met principis Turcarum, quam etiam a passarum, beglerbegorum,

zangziachorum, vajvodarum, praefectorum, capitaneorum, militum, officialium et ab universorum denique suorum, quovis nomine, tituloque nuncupatorum hostilitate, molestia, vexationeque tuta et pacifica esse debent.

Tertio. Item ne eisdem imperatoris Turcarum bassis, beglerbeghis, caeterisque omnibus supramemoratis praefectis ac subditis, cujuscunque gradus, status, ordinis conditionisque extiterint, ac omnibus aliis, quibus imperat, nos et charissimos fratres nostros, ac etiam subditos ad nos pertinentes, in perceptione fructuum ac reddituum ex possessionibus nostris, subditorumque nostrorum, quovis modo turbare et impedire, nec ullum jus sibi de iisdem subditis nostris novis aliquibus exactionibus seu oneribus premendis arrogare et praetendere, multo etiam minus villis, pagis et possessionibus, eorundemque subditorum nostrorum insidiari liceat ac permissum esto. Quin potius idem Turcarum imperator supranominatos suos passas, beglerbeghos et caeteros omnes, quibus dominatur, prohibeat et realiter praecaveat, curetque ne nostros subditos vel per vim, vel quibusvis artibus aut machinationibus, seu mortis, seu incendii, praedationumque et captivationum minis et terriculis sollicitare ad deditionem et in potestatem ac ditionem suam redigere ullo modo audeant et praesumant.

Quarto. Item quia proxima octennalis pax a conclusione ejus per totum tempus suum impedita fuerit inquietudine et bellicis tumultibus illustrissimi domini Joannis Sigismundi, haec praesens, ut firmior ac stabilior esse possit, nec ejus cursus motibus et machinationibus quibuspiam ejusdem ducis impedia-

tur, decretum est: ut imposterum a conclusione dictae pacis in Transsylvania et intra ejus provinciae limites legitimos sese contineat, suosque etiam omnes, quos vel a consiliis, vel a rebus militaribus habet, penes se esse manereque jubeat. Praeterea armorum quoque contra nos ac ditiones nostras hostiliter exercendorum interim, quoad ista pax octennalis*) duraverit, solito usu moreque deposito, ac etiam serendarum discordiarum inter nos et imperatorem Turcarum Selymum omisso studio, quo prius patrem quoque illius in nos concitabat, extra Transsylvaniam nec ipse personaliter, nec per suas copias ac duces militares ditiones nostras, subditorumque nostrorum bona debeat quibusvis damnis atque injuriis afficere et hostiliter infestare.

Quinto. Item decretum est, ut si forte idem dux quietis, pacisque impatiens, nec decretorum ejusdem pacis rationem habens, nobis ac subditis nostris movere hostilitatem, damnaque et injurias temere inferre non vereretur, nosque et eosdem subditos nostros molestare, villas illorum diripere et excursiones in ditionem nostram facere, arcesque et castella nostra, ac subditorum nostrorum pergeret oppugnare, vel alia nova in detrimentum cujusvis ditionis nostrae subditorumque nostrorum exstruere inciperet, bonaque mobilia et immobilia, contributiones, dicas, decimas et proventus qualiscunque generis, ad nos et ad eosdem subditos nostros spectantes invaderet et sibi vendicaret, quae omnia et singula, aliaque similia universa decreto pacis praesentis illi sunt prohibita et

*) Itt is, mint feljebb, eredetileg decennalis-nak iratott a béke ideje, de egykoru kéz — nem a Verancsicsé — octennalis-t irt helyébe.

interdicta, pro violatore hujus pacis ipsius habeatur, nobisque liceat, tam nosmet ipsos, quam subditos nostros ab hujusmodi damnorum injuriarumque illatione defendere, hostilitatemque ejusdem ducis propulsare. Nec idem Turcarum imperator velit pati, si talia moliretur et causas turbis inter nos movendis daret, adeo palam ac manifeste, sciensque et volens tam mandata ipsius imperatoris Turcarum praetereundo, quam decreta pacis negligendo, qua tot miseri utriusque partis populi ab infinitis malis et gravissimis oppressionibus quieturi erant. Quapropter nunc etiam idem Turcarum imperator serio, firmiterque et sub punitione aliqua evidenti duci memorato injungat atque praecipiat, ut eandem pacem ipse quoque sancte et inviolabiliter observet, ac per suos etiam observare faciat. Quod vicissim nos quoque ex parte nostra faciemus, curabimusque, ut etiam nostri id ipsum faciant ac praestent.

Sexto. Item decretum est, ut quidcunque arcium, castrorum, oppidorum, possessionumque et aliorum bonorum ac locorum in ea parte Hungariae, quae est extra veros et antiquos limites Transsylvaniae, intraque et extra Tibiscum amnem, tam nos quam idem dux possidemus, id deinceps quoque virtute pacis praesentis, decretique illius quilibet nostrum pacifice et sine ulla controversia possideat, teneat et in potestate sua habeat.

Similiter omnes etiam magnates, nobiles et reliqui subditi nostri, et cujuscunque status homines, qui per eundem regni tractum ad fidelitatem et obedientiam nostram reversi sunt hactenus, et imposterum revertentur, usque ad illam diem, qua plane nobis constabit, quod idem dux pacem hanc sub suis omni-

bus conditionibus et capitulationibus acceptaverit, eamque pro partibus, quae illum concernunt, ratificaverit, seque observaturum illam authentice professus fuerit, omnia eorum bona, res, arcesque et jura quaecunque obtineant et possideant, ipsi quoque pacifice ea retineant, in potestate sua habeant et in illis permaneant.

Septimo. Item decretum quoque est, ut si forte in eadem regni parte, quae videlicet a limitibus Transsylvaniae ad Tibiscum usque protenditur, essent aliqua seu possessiones, seu arces, castella, civitates, oppida, aliaque id genus bona ac jura, quae aut nos ab eo, aut ipse a nobis habere cuperet, liceat eidem duci nobiscum vel permutatione, vel quavis alia conventione transigere sic, ut aequaliter utrique nostrum cedat, quod alter alteri concesserit, neuterque nostrum minus recipiat, quam dederit, ut dicta conventio seu permutatio aequitate transigatur.

Hoc autem decretum est non alio consilio, quam, ut solvantur et submoveantur omnes causae rixarum, quae inter nos et ipsum ducem suboriri possent, commeantibus nostris hominibus ad nostra bona per ditionem ejus, et per nostram suis, ad ea videlicet, quae ipse quoque propius bona nostra obtineat. Nam, si hujusmodi bona aequali permutatione majoris, certiorisque concordiae gratia ad suam quaelibet partem applicarentur, homines quoque utriusque partis intra suas metas sese continerent et negotiarentur sine alterutrius molestatione, huncque in modum pax et amicitia cum eodem duce firmius servaretur.

Octavo. Item, ut universi tam nostri, quam praedicti ducis subditi, cujuscunque gradus, ordinis et conditionis fuerint, qui in utriusque nostrum fide, obe-

dientia, potestateque constituti sunt, et per proxima bella, vel ob metum, vel ob aliam quamcunque causam inter partes vacillassent, seque suspectos reddidissent, seu quovis modo aut nos aut ipsum ducem offendissent, in hac pace comprehendantur, et ita sint ejus participes, ut in eos nulla vindicta, quovis colore quaesita, institui, omnisque vel hinc vel inde concepta indignatio utrinque cessare debeat, sintque a persecutione securi.

Nono. Item, quia retroactis annis hinc ejusdem ducis, inde aliorum, et finitimorum beghorum opera plurimae et calumniosae delationes variorum motuum contortae sunt in nos apud imperatorem quondam Solymanum, quae ut admodum fuerunt perniciosae miseris regni Hungariae subditis ac tranquillitati publicae, ita et nobis et ipsi imperatori Solymano magnae turbationis causam praebuerunt: decretum est, ut imposterum, si vel ipse dux, vel antememorati beghi, aut quicunque alii apud modernum quoque serenissimum imperatorem Selymum id mali moris prosequentur, illis idem imperator ac sui passae confestim non credant, nec quicquam, quod ad hostilitatem pertineret, super his ante decernant, quam nos de omnibus edoceant et cognoscant, quid contra similes falsos criminatores de innocentia nostra responsi faciemus, ut sic tandem ambarum partium rationibus perspectis, aequius decernatur, quicquid erit pro aequitate decernendum.

Decimo. Item quamvis in tam amplo regno tam diuturnis bellis afflicto et attrito, magni sit negotii omnia praecavere, quae subinde in diversis finium partibus inciderent, et pacem quietemque publicam turbare soleant, nec praedones quoque ac plagiarii,

vagantesque et errabundi homines protinus, quum velimus, coherceri possint, nisi et in eos severius, suppliciisque animadvertatur: decretum est, ut utrique parti liberum sit et liceat sine ulla contradictione alterutrius partis similes flagitiosos et malefactores, quicunque ex Turcis in nostra ditione, et ex nostris in Turcica deprehendentur, meritis de facto suppliciis afficere.

Si autem deprehendi nequirent, sciretur alioqui et compertum haberetur, ubinam latitarent, capitaneis, et praefectis eorum mature ab altera parte indicetur, dictique capitanei et praefecti sine mora tales curent capiendos et pro qualitate sceleris puniendos, Turci Turcas, nostri vero Christianos.

Et si forte capitanei ac praefecti nostrae partis sedulo in his non fungentur suo officio, nos de hac inobedientia illorum admoniti, in eosdem severiter animadvertemus. Quod similiter Turcicus quoque imperator sua ex parte de suis fieri curare debebit.

Undecimo. Item, quia hujusmodi praedonum ac flagitiosorum hominum non esset tanta copia, neque etiam adeo effusa ad malefaciendum licentia, uti auderent, si plurium, partim eorumdem capitaneorum et praefectorum, partim etiam privatorum hominum utriusque partis cura non intertenerentur et foverentur, quibus rapina placet, nec quicquam boni de publica tranquillitate, quieteque cogitant: decretum est, ut in posterum a conclusione pacis hujus neutri partium, nobis ac nostris uzkokos, hajdones, vagosque et errabundos homines, imperatori vero Selymo ac suis leventas, martolcssos, haramias et id genus alios gregarios intertenere, fovere, alereque non liceat, quicunque scilicet alterutrius principis stipendio non sunt

conducti, neque sub disciplina militari serviunt, sed rapto ac furtivis praedis vivunt, et promiscue in omnes pari studio exercerent latrocinia.

Contra quod decretum memoratum, quicunque eos foverint, aluerint aut etiam tuebuntur et protegent, ii, uti jam dictum est, aeque ac ipsi malefactores puniantur, nos vero, ut huic decreto observando pro parte nostra assentimur et morem geremus: ita par est, ut vicissim Turcarum quoque imperator eidem assentiri ac morem gerere debeat.

Duodecimo. Item, ut solidius adhuc temeritati improborum hominum occurratur, si forte pacis hujus tempora ab ejusdem imperatoris Turcarum capitaneis, praefectis, vel a quibuscunque aliis supranominatis subditis et personis ac magistratibus suis primariis, ac etiam ab ipso duce Joanne Sigismundo civitatem aliquam, vel oppidum, vel arcem, vel castellum, vel fortalitium, vel etiam qualemcunque locum aut partem terrarum nostrarum, quovis colore quaesito, seu per vim et aperto marte, seu per largitionem obtineri, aut furtive et per artes clandestinas in potestatem accipi contingeret.

Similiter a nostris quoque capitaneis, praefectis et ab aliis quibuscunque similibus praesidibus ac subditis nostris, si ipsius imperatoris Turcarum, ducisque memorati, ac eorum, qui ad eos pertinent, civitatem, arcem, castellum, fortalitium, et demum quemvis locum alium, viis ac modis, superius jam expressis, accideret intercipi, decretum est, ut omnia similia intercepta illico et sine ulla tergiversatione mutuo inter nos, sua cuique ab alterutra parte restituantur gratuito.

Ii vero, per quos haedem hujusmodi violentiae illatae fuerint, capite plectantur: cui decreto ut nos obtemperabimus, ita et a parte altera debebit fieri.

Quum autem per haec disturbia subditi nostri praecipue fuerunt afflicti, ac omne malum semper in eos recidere consuevit, aeque decretum est: ut non modo loca similia ac bona, quae immediate nostra sunt, sed etiam ea universa tam bona, quam res et arces et castella et oppida, omniaque hujusmodi alia, quae peculiariter ad eosdem subditos nostros pertineant, sive illi sint fideles, sive rebelles, a memoratis violentiis sint illis tuta ac libera, et omnibus commodis atque immunitatibus ejusdem decreti aeque ac nos gaudeant ac fruantur.

Decimo tertio. Item, decretum est, ut quicunque nostri, vel ipsius imperatoris Turcarum duces bellici, milites, ministri, subditique, cujuscunque ordinis, status conditionisque fuerint, post conclusionem hujus pacis ab alterutra parte capientur et in servitium abducentur, ii confestim et citra omnem difficultatem, pactationemque pretii redemptionis, et prorsus sine omni solutione, cujuscunque vel quorumcunque captivi fuerint, libertati restituantur et in sua redire permittantur. Nec ullo modo, ullo colore vel praetextu quaesito, detineantur, mancipentur, donentur, vendantur aut interficiantur.

Decimo quarto. Item: quia saepe contingit, captivos vinctos adhuc in carceribus et compedibus, effractis et vinculis et carceribus libertatis causa, ex captivitate effugere, atque ad suos evadere incolumes, decretum est: ut tales alterutra pars nullo pacto alteri cogatur restituere. Sed iidem captivi divino beneficio liberati, secure et sine ulla persecutione, litisque molestia, apud suos adepta libertate gaudeant et potiantiantur. Nempe Christiani apud Christianos, Turcae vero apud Turcas.

Decimo quinto. Item, de transfugiis subditorum, officialium, praefectorum, militum, aliorumque similium, sub civili et militari fide degentium, merentiumque stipendiis, qui saepenumero fidei, integritatis, subjectionisque suae obliti, ad alteram partem transire et desciscere soleant, puta: nostri ad Turcas, ad Transsylvanos, ad Moldavos et ad Transalpinenses, ii vero ad nos, decretum est: ut talium perfidia atque inconstantia coherceatur, nequaquam posthac inter partes admittantur, quin potius eaedem partes firmiter sint obligatae ad talium non solum repulsionem et rejectionem, sed etiam ad curandum pro alterius partis instantia, ut in eorum protestatem ac manus veniant, in quibus transfugerint, sicque castigentur et sint exemplo aliis. Qua ratione et lege non solum religioni utriusque partis satisfiet, sed etiam similes leves, inconstantes, perfidi et flagitiosi homines juri alieno adstricti facilius in officio continebuntur et inhibebuntur a transfugiis.

Item: quia eorum Turcarum causa, qui ex variis provinciis ejus magnitudinis, maxime vero ex Natoliae partibus veniunt magno numero in Hungariam ad emendos captivos per omnia confinia, magna jactura ditiones non solum nostrae, sed etiam magnitudinis ejus afficiuntur, dum partim beghi ac milites, partim vero alii officiales finitimi per easdem utriusque partis ditiones tum pacis, tum induciarum tempore suffurantur omnis aetatis homines, maxime autem impuberes, eosque latenter occulteque hujusmodi emptoribus et nostra et magnitudinis ejus magna jactura atque injuria divendunt, decretum est: ut imposterum similes emptores in Hungariae finibus non admittantur, nec ibidem liceat illis hominum mercaturam exercere.

Quicunque autem deprehensi fuerint in dictorum captivorum emptione, ii tales obligati sint in quaestione furum nomina detegere, simulque et fures et emptores meritis suppliciis afficiantur, omni pecunia amissa, et captivis ereptis, restitutisque suae libertati.

Decimo sexto. Item: quia ex duellis, quae singulari certamine depugnantur, saepenumero discordiae et inimicitiae, insperatique et gravissimi casus, ex his casibus vero turbae ac motus complurium locorum, virorumque militarium et ipsorum etiam foederum pericula causari soleant, quod retroactis annis frequenti experientia didicimus: decretum est, ut durante ista pace, publicae quietis ac tranquillitatis gratia prorsus memorata duella et provocationes, vel seriae in mortem vel ludicrae (uti consuetum est finitimis) ad frangendas hastas, utrique parti sint illicitae et prohibitae. Et quicunque alterutrius partis alium ad hujusmodi singulare certamen ausus fuerit provocare, is a praefecto suo gravissime puniatur.

Neve quis locus relinquatur cavillationi, hoc ipsum de his quoque, qui bini, trini, quaterni et quovis alio majore numero per eandem provocationem militaris usus vellent mutuo depugnare, intelligitur et servari debet, ut ex aequo omnia hujusmodi genera duellorum omnibus interdicta sint et prohibita.

Decimo septimo. Item: ut imposterum omnium dissidiorum, turbarum, contentionumque inter partes ob novarum munitionum erectiones et veterum reparationes tollantur ac cessent omnes causae, quae superiorum annorum foederibus inter divum quondam genitorem nostrum Ferdinandum ac serenissimum quondam imperatorem Solymanum de pace habitis, multum quandoque offecerunt, eaque a suo cursu tur-

baverunt, decretum est: ut utrique parti liberum ac licitum sit pro arbitrio, commodo et necessitate sua quaevis loca aedificare, reparare, munire et fortificare, quae directe, immediate et absque ulla controversia in aedificantis solo, ditione et districtu sita esse dinoscentur. Neque ei in hoc ab altera quicquam impedimenti, contradictionis sive negotii exhibeatur. In alieno vero solo, ditione vel districtu quemvis locum aedificare, reparare, munire seu fortificare posthac, durante hac ipsa pace, minime liberum sit, nec ulla ratione liceat.

Decimo octavo. Item: quia in tam amplo ac dilacerato, et in multiplices partes distracto regno (uti superius etiam commemoratum est) difficulter potest praecaveri, ut interdum non exoriantur inter partes aliquae differentiae et discordiae seu magnae seu modiocres, et ultro citroque damna atque incommoda inferantur, estque summe necessarium, ut hujusmodi casibus tempestive et certa aliqua ratione occurratur et provideatur, ne tales scintillae differentiarum in majores motus, turbasque excitentur, decretum est: ut hac pace conclusa, primo quoque tempore constituantur ex utraque parte commissarii pari numero, qui sint viri graves, probi, prudentes, pacis aequit atisque amantes et omnium confiniorum periti, differentiaeque hujusmodi protinus, ubi exortae fuerint, ad eos referantur. Illi autem citra moram longiorem in opportuno loco, sine exercitu partium, cum aequali tamen comitiva et familiarium personarum numero conveniant, omnesque et singulas controversias, quae in hunc modum emerserint, audiant, cognoscant, dijudicent ac decidant et amabiliter componant. Curent postremo ambae partes, ut sui homines ac subditi citra omnem

tergiversationem et praetextum, ad firmam sinceramque observationem pacis compellantur, qui autem recusaverint et ausu temerario hujusmodi decretum transgredi praesumpserint, poenis gravissimis puniantur.

Si vero tales differentiae ac discordiae inciderent aliquando, quae pro sua magnitudine ab eisdem commissariis transigi, complanari et componi non possent, decretum est: ut ad Turcarum imperatoris passam Budensem, et ad supremum capitaneum nostrum, quem tunc nominabimus, virum primarium et rerum gerendarum industria praeditum, tales similes differentiae a commissariis transferantur, et per illos revideantur ac exequantur.

Si autem neque ab iis haedem differentiae finiri possent, tunc demum ad nos et ad imperatorem Turcarum remittantur et per nos ipsos tales aliquae rationes et viae quaerantur, per quas memoratae differentiae componantur et sedentur, ususque armorum omnino avertatur.

Decimo nono. Item: decretum est, ut homines nostri, quos imposterum pace hac conclusa servaturi sumus in porta Turcarum imperatoris, sive eos oratores, sive agentes, sive procuratores aut quovis alio titulo nominabimus, ii oratorum libertate ac privilegiis et immunitatibus citra cujusque contradictionem fruantur, quemadmodum aliorum principum Christianorum oratores fruuntur, qui magnitudini suae amici sunt confoederati, et apud eam similes ministros servant.

Vigesimo. Item: decretum est praeterea, ut iidem homines nostri habeant liberam potestatem conducendi et tenendi dragomanos sive interpretes, quos et

quot voluerint pro necessitate sua et negotiorum nostrorum, eisdemque non imponantur chiausi, sed si voluerint aliquem habere pro custodia suarum ac familiae suae personarum, et pro imperatoria nostra dignitate, sit illis liberum, talem conducere et tenere, qui etiam placebit eis et voluntati eorum parebit; neque in eos jus aliquod habebit, sed geret se ipsorum arbitratu.

Vigesimo primo. Item: decretum est, ut eisdem hominibus nostris liceat ac etiam liberum sit, nuncios sive cursores suos cum litteris sine contradictione mittere, quocunque tempore et quacunque via voluerint. Similiter nostris quoque vel nunciis vel tabellariis, quos ad eosdem quacunque pro exigentia rerum nostrarum destinabimus, eadem libertas atque securitas conservetur, neque impediantur ab altera parte, quin potius eosdem omni favore prosequantur et sint illis auxilio ac defensioni, ut iter agant sine periculo, habeantque iidem nostri homines, hac tutela protecti, crebrius aliquid a nobis informationis, ut certius et maturius cum ipso supremo domino passa et cum aliis dominis collegis ejus de communibus rebus, quas interdum cum imperatore Turcarum habituri simus, tractare possint.

Vigesimo secundo. Item: quum non solum tempore divi genitoris nostri, sed jam hoc etiam nostro accidit, ut in confinibus nostris communibus, pace seu induciis utravis ex parte turbatis, iidem homines nostri in Porta residentes confestim correpti, variisque ac multiplicibus etiam affecti fuerint injuriis, retrusi quoque sunt in custodiam. Quae res quum sit contra jus divinum et humanum, cedit etiam in maximam contumeliam nostram. Quandoquidem quidquid inju-

riarum, convitiorumque in principum oratores conjicitur, in principum suorum dedecus redundat. Quod nequaquam rite fit, nec omnino potest laudari ut res non admodum vindictae speciosae atque praeclarae:

Ideo decretum est, ut posthac vel belli, vel pacis tempore iidem homines nostri non in publico diversorio, sed in liberis domibus vel Constantinopoli, vel Galatae, ubi illis magis libuerit, habitent. Neque, aut stante pace, seu induciis pro tempore existentibus, aut eadem pace, seu induciis perturbatis, ex quacunque causa afficiantur injuriis, neque in custodiam publici diversorii retrudantur, quum honoris ac existimationis nostrae causa, tum ob respectum divini atque humani juris, quod utrumque jubet oratores ab hujusmodi contumeliis liberos ac immunes esse debere.

Vel si forte res ad bellum devenisset, ipsi oratores seu homines nostri potius ablegentur ad suos principes, si praesentia illorum esset molesta, quam ut detineantur in custodia, et incommodis atque injuriis cum pudore nostro affligantur; quum oratores nec sint bellorum causa, nec eorum auspiciis bella gerantur; multo etiam minus culpas suorum principum subire debent.

Si autem nobis aut pacis aut belli tempore, vel etiam quocunque alio, eosdem oratores seu homines nostros placuisset ex felici porta suae magnitudinis ad nos revocare, nullo interim alio successore in locum eorum submisso, decretum est, ut absque omni difficultate, contradictione, retentione et mora dimittantur, secureque et pacifice in ditionem nostram deducantur, ibique capitaneo nostro incolumes assignentur.

Vigesimo tertio. Quod vero attinet ad negotium de divisione communium colonorum, ac de positione limitum ad inhibendas excursiones militum, quorum duorum articulorum ratio praecipue versata est in controversia.

Quum visum est partibus, nullo modo id rei alibi commode, tuteque et pro aequalitate utriusque partis posse transigi (pace interim ex toto inter nos et ipsum imperatorem Turcarum per ipsos supradictos oratores nostros sub conditionibus et articulis in his litteris transactionalibus complexis ac descriptis, confecta et publicata), nisi in ipsis confiniis opera communium commissariorum, superintendentibus passa Budensi et supremo capitaneo nostro ad hunc effectum peculiariter delegato, decretum est: ut hi duo articuli transferantur in Hungariam ad communia partium confinia, ibique modo et forma superius instituta, ratio illorum, libro quoque magnitudinis suae adhibito, revideatur, discutiatur et demum ordinetur ac concludatur cum aequitate, satisfactione et ratificatione utriusque partis, quemadmodum jam dictum est in praemissis.

Vigesimo quarto. Donec autem iidem duo articuli de communium videlicet colonorum divisione, ac de positione limitum, pro voluntate et satisfactione partium transigentur, omniaque singula alia, ad eos, statumque et tranquillitatem publicam pertinentia revisa atque ordine digesta fuerint, sic ut et nos, et idem imperator Turcarum contenti simus: pro stabilitate et firmitudine praesentis pacis inter nos initae, factae conclusae et ratificatae utriusque nostrum chirographis, decretum est, ut interim eorundem communium colonorum tota ratio in eo ipso statu permaneat,

in quo et antea fuerunt, et sunt etiam modo. Nec ulla partium eos ante tempus vel usurpet sibi, vel ad quaepiam insolita compellat cum injuria et praejudicio alterius partis, sed utrinque aequo animo, sedate, pacifice, amicabiliterque deliberatio commissariorum exspectetur.

Vigesimo quinto. Pacis autem tempus decretum est in octennium, cujus initium a data litterarum, capitulationumque praesentium incipiet. Et hoc interim, donec eadem pax inter partes firma, sincera, constans et inviolata pesmanserit, nos eundem serenissimum imperatorem Turcarum Selymum, confoederatum nostrum, quotannis munere honorario triginta millium ducatorum Hungaricalium per speciales homines nostros, prout ante factum est, circa uniuscujusque anni finem invisemus.

Ejus tamen serenitas firmiter ac sedulo (uti supra dictum est) dabit amicam et benevolam operam, ut a suis finitimis in fines nostros excursiones non fiant. Quod nos quoque vicissim curabimus, ut similiter nostri intra limites suos pacifice sese contineant, et mutuo amicabili vicinitate vivant.

Nec ullius partis privati homines injurias privatas conentur proprio et peculiari marte vindicare, sed earundem revisionem ad suprascriptos commissarios primum, deinde, si res ita postulabit, ad Budonsem passam et supremum nostrum capitaneum transferant, uti jam supra est constitutum. Sic demum pax ipsa inter nos firma consistet, et cursus ejus sine impedimento ad suum finem deducetur.

LIII.

Verancsics Mihálynak*) Maximilián császár.

1568. mart. 4. Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Egregie, fidelis, nobis dilecte. Litteras tuas undecimo die proxime praeteriti mensis Februarii ex Sibenico datas, una cum fasciculo litterarum fratris tui, reverendi episcopi Agriensis et collegarum ejus, oratorum nostrorum, ad te transmisso, clementer accepimus, et fidelitatem, studium ac operam tuam in transmittendo illo praestitam benigno ac grato animo probamus, te benigne requirentes, ut adjunctas nostras, quas illis simul et seorsim nunc rescripsimus, eadem fide, cura ac diligentia per tabellarium aliquem spectatae integritatis, vel eo, quo noveris, meliore modo et via ad portam principis Turcarum quamprimum expedias, praestiturus in eo offficium nobis pergratum, caesarea nostra benignitate recognoscendum. Datae in civitate nostra Vienna die quarta Martii anno Domini MDLXVIII. regnorum nostrorum, Romani sexto, Hungarici quinto, Bohemiae vero vicesimo. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium. M. Singkhmoser m. p.

---

*) E czimzet nélkül reánk maradt levél Verancsics Mihálynak, Antal testvérének szól, ki, mint felebb láttuk, akkor szülővárosában Sebenicóban időzött, nem — mint Miller hivé — Mihály fiának, Faustusnak, ki akkor Sebenicóban sem volt.

LIV.

Követségi napló.

1567.

Augusti

22. Venimus Constantinopolim. 1567. aug. 22.
27. Imperator ivit aucupatum. 1568. mart. 17.
28. Habuimus primam audientiam apud Mehmeth passam, Pertavum et Ferhattum.
29. Reliquos tres passas visitavimus.

Septembris

4. Iterum secundam audientiam apud summum passam habuimus, ubi etiam primam partem instructionis nostrae satis, ut putamus, tractavimus, et tunc rogati, edocuimus passam, quid caesari attulimus.
10. Orator Galli habuit apud Mehmeth passam audientiam.
11. Visitavit nos Don Joseph dux Naxi.
13. Fuit apud nos secretarius domini oratoris Galli, per eundem missus.
15. Princeps ex suo aucupio rediit in urbem cum omnibus suis praetorianis quinque circiter millium hominum; cui janizeri ad duo millia accedebant.
19. Audientiam apud summum passam habuimus.
21. Audientiam primam apud principem cum exhibitione muneris honorarii habuimus admodum honorificam, excepti ab omnibus praetorianis, et convivio apud vesirios in divano.

24. Audientiam apud supremum passam habuimus, scituri ad postremum, quid exspectandum sit nobis de statu subditorum deditorum et de conservatione Tattae ac Vesprimii. Tum demum facta est mentio de Philippo rege.
25. Audientiam habuimus apud 4. passas: Ferhattum, Ahmattum, Pyaly et Mahmut. Et
26. Apud Pertaw passam causa divisionis colonorum et distractionis Tatthae ac Vesprimii.

Ultima Septembris fuimus apud supremum passam, ad postremum cognituri, quid decrevissent, de divisione colonorum et de distractione arcium Tattae et Vesprimii.

Octobris

1. Per interpretem Mahmuttum significavit nobis, obtinuisse se, ut Babolcha et Berzencze demoliantur.
11. Orator Galli a principe auditus, eique data ejus. regis munera.
17. Expeditus est a nobis ad caesaream majestatem Eduardus cum litteris.
19. Fuimus apud passam supremum cum querimoniis contra finitimos.
23. Princeps Turcarum profectus est Hadrianopolim
30. Perlustravimus fretum Bospori Thracii usque ad Pontum; triduo foris fuimus.

Novembris

13. Dominus bailus Venetus Jacobus Solantius movit Galata Hadrianopolim.
16. Nos fuimus apud passam Pyaly, locumtenentem principis sui, in negotio Fabricii pro magnifico domino Alberto collega nostro.

Decembris

16. Eduardus appulit Hadrianopolim a caesarea majestate.

1568.

Januarii

5. Movimus Constantinopoli.
13. Venimus Hadrianopolim.
15. Habuimus ibidem apud summum passam Mehmet audientiam.
20. Circiter diem hujus mensis 20. proclamatus est apparatus bellicus Hadrianopoli.
25. Exhibuimus passae scriptum de communibus villis.
27. Habuimus aliam apud supremum passam audientiam, qui pro voto facto responso ex parte communium colonorum, arces reduxit in controversiam jam promissas.

Ultima hujus Abdabeg Mesopotanus Kurth cum suis aliquot, Hadrianopoli in templo imperatoris Murath occidit ciaus passim, praefectum ciausorum, cum duobus ciausis, aliquot vulneratis. Sequenti die parvo spatio temporis in divano caesareo judicatus, decollatus est cum 24. ex suis.

Februarii

16. Appulit Adrianopolim orator Persae Sah Kuly nomine, cum numero hominum circiter 400.
17. Habuimus audientiam ad supremum passam vocati, in qua et legationi nostrae gratum finem imposuit.
19. Orator Persae apud supremum passam habuit audientiam.

Eodem quidam ex populo, temerario zelo suae fidei, sclopo eum in vico petivit et fefellit, unum tamen ex comitibus vulneravit. Hominem passa subito fecit comprehendi, et equi cauda in mortem per urbem rapi. Exhorruerat orator et fere ab domo passae ad hospitium suum redire voluit, sed a passa revocatus et delinitus est.

20. Nos ad passam vocati. Proposuit nobis Gallorum, Venetorum, Polonorumquo confoederationem, propter quod novae contentiones nonnihil nos exceperunt.
21. Exhibuimus passae articulos pacis.
22. Habuit audientiam orator Persae apud principem Turcarum Zelymum.
24. Habuimus ultimam audientiam et expediti sumus a principe Turcarum Hadrianopoli.
29. Iterum habuimus audientiam apud passam pro responso privatarum petitionum nostrorum captivorum et Turcarum, qui nobis servierunt.
Eodem invisit nos bailus Venetus, gratulatusque est nobis de confectà pace.

Martii

3. Nocte insequenti carnisprivium ignis erupit intra civitatem muratam Hadrianopoli et consumpsit ad 50. domos.
8. Supervenerunt ab oratore Galli secretarius et interpres.
9. Habuimus audientiam apud supremum passam, et quae restabant ad omnium conclusionem, de additione ad articulos, de communibus colonis, de tempore cursus muneris honorarii, de dictione communi excludenda ex ratificatoriis, et de libertate aedificandi et muniendi utriusque partis in suo, partim obtentis, partim ad caesaream majestatem delatis, finem fecimus omnibus.
10. Venerunt Adrianopolim nuncii Transsylvani cum tributo, Nicolaus Orbay et Franciscus Balogh.
17. Nos cum Dei nomine, visitatis omnibus dominis passis, valediximus illis et currus nostros ad iter praeparavimus.
Eodem visitavimus etiam clarissimum dominum bailum Venetum Jacobum Sorancium.

LV.

A követség kiadásairól számadás.

28. Augusti.

Dati sunt supremo passae Mehmeth ducati aurei	4000.	1567. aug. 28. 1568. mart. 17.
Cuppae duplicatae	4.	
Horologium	1.	
Janitori hujus passae dati sunt talleri	40.	
Eodem: Dati sunt Pertaw passae talleri	2000.	
Cuppae duplicatae	2.	
Horologium	1.	
Janitori hujus talleri	30.	
Eodem: Dati sunt Ferhat passae talleri	1500.	
Cuppae duplicatae	2.	
Janitori hujus talleri	30.	
Eodem: Dati sunt Ahmat passae talleri	1000.	
Cuppae duplicatae	2.	
Janitori ejus talleri	25.	

29. Augusti.

Dati sunt Pialy passae talleri	2000.
Cuppae duplicatae	2.
Janitori ejus talleri	25.
Eodem: Dati sunt Mahmuto passae talleri	1000.
Cuppae duplicatae	2.
Janitori ejus talleri	25.
Eodem: Dati magnifico domino Alberto collegae nostro de ordinatione caesareae majestatis talleri	5000.

30. Augusti.

Domino Tychajae magnifici domini Mehmet passae dati sunt dono talleri	150.
Cuppa duplicata	1.
Eodem: Domino Ibraimo interpreti dati sunt dono talleri	750.
Eodem: Domino Mahmutto interpreti dati sunt dono talleri	450.
Eodem: Quibusdam minoribus janitoribus passae supremi, qui ejus nomine nobis attulerunt fructus et pisces, dati sunt talleri	12.
Eodem: Chiaus passy caesaris dati sunt pro una veste de veluto carmesino ulnae 12., talleri	75.
Eodem: Ciausis caesareis viginti quinque, qui nobis obviam venerunt extra urbem, dati sunt talleri	25.
Eodem: Capitaneo ulufegiarum, qui nobis obviam venit extra, urbem talleri	50.
Et militibus ejus talleri	25.
Eodem: Ciausis Budensibus sex, et totidem janizeris, qui nos Constantinopolim deduxerunt, talleri	100.

Ejusdem Aug. 28.

Agriensis exemit de voluntate dominorum collegarum ex talleris, qui sunt in sua capsa, qui janitoribus passarum Pertaw et Ferhat distributi sunt, talleros	60.

Idem Agriensis ex hiisdem talleris exemit pro janitoribus passarum Mahmut, Ahmat et Pialy, similiter de voluntate dominorum collegarum, talleros 75.

Septembris 1.

Distributi sunt officialibus aulae principalioribus, tempore nostrae primae apud principem audientiae talleri 280.

2. Septembris.

Secretario passae Mehmeth dati talleri 100.
et cuppa duplex valens 74. talleros, aspros 23., qui talleri 74. et aspri 23. tunc soluti sunt pro cuppa, quia paratae non habebantur, et eam emere oportuit.

Eodem: Abrahamo talleri 60.

6. Septembris.

Defectum centum viginti tallerorum repertum in uno sacco, juxta schedas alligatas, quas reservavimus, ex aliis pecuniarum saccis supplevimus, tallerorum videlicet 120. defectum. 120.

Eodem: Pro saccis coriaceis, quibus pecunia delata est ad Turcarum principem, et ad alios vesirios, dedimus talleros 16.

Eodem: Donati chiausio, nostrae custodiae deputato, talleri 32.

Eodem: thihajae passae Bndensis, qui nos deduxit Constantinopolim, talleri 50.

9. Septembris.

Alium defectum centum duodecim tallerorum invenimus in quodam sacco, quem defectum supplevimus ex aliis restantiis pecuniarum. 112.

14. Septembris.

Numerati sunt duodecim certi alii sacci, in quorum altero repertus est defectus tallerorum 114.
In alio vero tallerorum 102¾.
Eodem: Numeratus est unus saccus, in quo defectus repertus est tallerorum 99½.

16. Septembris.

Ego Agriensis excepi ex aureis, qui sunt in mea capsa, quinque, et reposui talleros 7.

7. Octobris.

Expeditus est Eduardus ad caesaream majestatem cum litteris, eique dati sunt pro sumptibus ex sacco, qui erat in capsa episcopi, pecunia suae majestatis, de voluntate communi dominorum collegarum talleri 50.
Ciauso vero, qui cum illo missus est, talleri 10.

20. Octobris.

Ex saccis, qui fuerunt in capsa Agriensis, dati sunt dragomanis domesticis Antonio et Matthiae talleri 150.

Eodem: Quod reliquum fuit eorum saccorum apud Agriensem, aurei quadraginta duo, idem Agriensis de consensu dominorum collegarum accepit mutuo, eosdem aureos restituendos. 42.

29. Decembris.

Conduximus hominem, qui litteras nostras ad caesaream majestatem datas deportavit Sibenicum, aureis ducatis triginta sex, qui faciunt tall. 54. Et hi desumpti sunt ex pecunia suae majestatis, quae servatur in corbe.

1568.

16. Januarii.

Ex eadem pecunia dati sunt ciausis circiter viginti, qui nobis obviam venerunt ex Hadrianopoli, talleri. 25.

Similiter uni buliuk passae, qui deduxit nos Constantinopoli Hadrianopolim, Mehmet passae mandato, tall. 15.

Et ciausio nostro pro una veste anni novi talleri 35.

Ex eadem caesareae majestatis pecunia persolutae sunt tres vestes sericeae, quas adhuc initio adventus nostri ciausi, videlicet Muzt. eidem donavimus, talleris 75.

3. Martii.

Ex eadem pecunia majestatis caesareae, quae fuit in capsa Episcopi, dati sunt ciauspassi ciausis, aggae idufegziarum tympanistis ac tubicinibus, et zolakis, seimenis, turnagiis, curciis et sasoggiis, qui nos associati sunt in valedictione Turcarum imperatoris, eundo ad curiam, et inde redeundo, tall. 108. qui faciunt ducatos in auro 72.

9. Martii.

Ex eadem pecunia caesareae majestatis dedimus quinque janizeris Episcopi et domini Teuffenpach ad vestes ordinarias talleros 38.
Aspros 30.

10. Martii.

Ex eadem pecunia caesareae majestatis dedimus cancellario ad duas vestes, qui scripsit in gratiam nostram, quantum fieri potuit, ratificatorias principis Turcarum tall. 55.

17. Martii.

Pro aureis quadraginta, quos Agriensis de suo dedit, ad officiales quosdam omnium passarum in valedictione, qui faciunt talleros . . . . . 60.
Eos excepit ex praefata pecunia caesareae majestatis de voluntate dominorum collegarum, quae fuit in sua capsa.

LVI.

Dornberg Vidnek Verancsics és társai.

Ad magnificum Vitum de Doremberg.

Orator Persae, Sah Kuly nomine, apud princi- 1568. mart. 19.
pem suum vir primarius, XVI. appulit tandem ad hanc urbem, cum numero hominum circiter 600. comi mode apparatus, munusque exhibuit huic princip satis (uti ferunt) opulentum: lapides pretiosos, margaritas, turchinos, bezaros, frameas, arcus, tentoria, tapetes et multiplicem aliam supellectilem subtilissimam, cultuque asiatico elaboratam atque distinctam.

Pacem autem vel ipso primo congressu cum hoc principe transegit, quia non aliam petiit quam quae illi cum Solymano jam defuncto intercesserat; paucis admodum utrinque postulatis et concessis. Expedieturque subito post horum festa bariani. Princeps quoque regredietur circiter XXVI. Aprilis.

Nos similiter die sequenti, hoc est XVII. Februarii, cum eodem principe confecimus et conclusimus

pacem ad octennium, idque, quoad ejus per nos fieri potuit, non incommode; quamquam non etiam sine magna contentione et difficultate.

Nosque duo, Agriensis et Christophorus a Teuffenpach, cras iter, Domino comite, ingrediemur versus patriam, Alberto de Wyss hic relicto tantisper, donec ei succedatur.

Quod reliquum est, binas litteras magnificae dominationis vestrae superioribus diebus accepimus, quae quidem nobis supramodum fuere gratissimae.

Neve super negotio pecuniarum prolixiores simus, eandem rogamus, ut sicut hucusque favit sua opera, ita velit etiam inposterum residentis hic oratoris habere curam, utque omnes pecuniae huc deputatae ad manus Dominici de Galiano consignentur. Etenim ii fratres duo magnis apud omnes pollent praeconiis. Nec plura modo. Valeat optime et feliciter. Hadrianopoli XIX. Martii 1568.

LVII.

A császári folséghez.

Ad sacram caesaream majestatem.

1568. mart. 19. Intellexi, magnificum dominum Christophorum Orszagh e vivis excessisse, et quia generis sui ultimus haeres fuerit, neque ex se ullos liberos reliquerit, certum est, bona et facultates ejus omnes ad coronam fuisse devolutas. Ego autem quum sim non admodum commode redditibus instructus, presertim his, qui haberent vinorum promontoria, nihil prope aliud ex praepositura Turociensi habens, quam panem et syce-

ram, consumemque interim semper pensionem meam in servitiis vestrae caesareae majestatis, aere alieno sustentatus, non sine magno foenoris gravamine, quod per tam longiora spatia et per tot difficultates mihi deponitur, humillime supplico, dignetur: caesarea majestas vestra ad has necessitates meas clementer respicere, mihique arces ejusdem defuncti, Cieythe, Jokew et Zomolyam cum omnibus bonis et pertinentiis suis in perpetuum dare, donare et conferre.

Et si forte esset aliqua difficultas in medio, propter quam ista majestatis vestrae de omnibus his arcibus impediretur erga me munificentia, saltem dignetur illud benigne statuere, ut ex illis unam, vel Zomolyam vel Cieythe, obtineam, quod ejusdem majestatis vestrae gratiae et beneficii, omni fidelitate et servitute mea promereri, quoad vixero, non desistam. Qui autem has meas majestati vestrae exhibebit et sollicitabit hoc meum negotium, erit dominus Franciscus Caprinus, sacrae caesareae majestatis vestrae cubicularius, humillime supplico, ut quotiescunque ad sacratissimos pedes majestatis vestrae nomine et in persona mea accesserit, dignetur audientiam illi clementer impartiri, mihi vero benignum exspectatumque responsum facere; quam Deus Optimus Maximus quam diutissime felicem ac incolumem servet. Hadrianopoli 19. Martii 1568.

LVIII.

Busbecknek Verancsics.

Ad magnificum Dominum Augerium Busbekum.

1568. mart. 19. Responsurus litteris jucundissimis magnificae dominationis vestrae, illud imprimis sciat, nos hic, quod istic maxime optabatur, pacem cum hoc principe Turcarum confecisse, quod sit feliciter, ac fauste majestati sue caesareae ac nostrae afflictissimae patriae cedat, Deum Optimum ac Maximum precor; plenusque jam ex beneficio Dei bonae valetudinis, cras cum bonis angelis etiam iter nostrum in patriam redituri ingrediemur. De novis rebus et Eduardus me explevit, et aliunde non defuerunt mihi hujusmodi officia. Quas autem hinc ego vicissim possim ad magnificam dominationem vestram scribere, hae suut: quod hic princeps confecta pace nobiscum, cum Persa, confirmataque cum Venetis, felicissime putat actum esse secum; utinam non desit nobis, quod nos ex nostra speramus. Alioqui crescit potentia in infinitum, quae nos hactenus fregit. Nec est, quod velim esse prolixior, jam ingressus iter, et festinans, ut quam celerrime fieri possit, ipse sim coram epistola mea. Magnificam dominationem vestram multi hinc salutant, et nomen ejus etiam absentis plurimis laudibus ad aethera tollunt. Felicissime valeat. Hadrianopoli XIX Martii 1568,

LIX.

A békeszerződés végtárgyalása.

Ultima actio totius tractatus, et conclusionis pa- 1568. mart. 20.
cis octennalis inter sacratissimum imperatorem Romanorum Maximilianum secundum et principem Turcarum zultanum Selymum per Antonium Verancium episcopum Agriensem, Christophorum a Teuffenpach in Mairhofen, et Albertum de Wyss oratores et consiliarios ejusdem imperatoriae majestatis XVII. Feruarii anno MDLXVIII. factae, quam iisdem oratoribus dimitti placuit, quum jam bona ex parte descriptae erant, et eundem tractatum serius adhuc finem suum sortiturum putaverunt.

Ad sacratissimam caesaream majestatem.

Has priores litteras nostras his adjunctas eramus tempestivius missuri via Veneta, sed audito celeriore adventu oratoris Persae, eas nonnihil detinuimus, sperantes, quod ubi ille advenisset, tale aliquid essemus de rebus illius principis intellecturi, et ad majestatem vestram scripturi, quae multo fuissent certiora, quam quae proximis litteris, via sancti Viti de Flumine datis, perscripsimus, ea enim ferme omnia veritate sua caruerunt, esto quod ab iis ea accepimus, quibus alii etiam majestatis vestræ oratores fidem habere consueverunt. Propter quod si quid nos incurrerimus reprehensione dignum, id aequo animo feri-

mus, veniam tamen humillime deprecamur. Quanquam adeo tunc temporis per Constantinopolim ea credebantur, ut eorum, qui publica scire student, nemo fuerit, qui in hunc errorem non impegerit.

Verum intenti nos in adventum hujus ipsius oratoris, quem ii tamdiu conceperunt et parturierunt, Sáh Kuly nominatum, advenit tandem ad hanc urbem die XVI. mensis Februarii, comitatus equitibus circiter sexingentis, non admodum specioso apparatu. Quicquid autem imperator Selymus habuit hic militum equestris ordinis, misit illi obviam, mandavitque, ut quam honorificentius fieri poterit, excipiatur et in urbem deducatur. De qua principis voluntate, ajunt, admiratos fuisse passas, et contrariam habuisse sententiam, disuasisseque ut tanto cum honore exciperetur. Selymum vero sententia illorum non admissa, subjunxisse: velle si ita fieri, quum opera ac beneficio oratoris hujus principis ad paterni imperii solium pervenisset, et eo loco sederet, quo nunc sedet. Innuens hoc officio, quanta gratitudine Persam demereri vellet ob exstinctum fratrem cum liberis IIII., qui si feliciora fata habuisset, perfidiamque amici, cujus fidei ac juramento crediderat, evasisset, non ita facile, imperium hoc obtinuisset.

Tota haec civitas in suburbana et multo etiam longius effluxerat, desiderio eundem videndi oratorem. Quo nos quoque capti spectaculo, eo loci passa jusserat dari nobis stationem in quadam parte dervisiorum coenobii ad viam spectante, transenisque praestructa. Quum itaque idem orator locum hunc praeteriret, essetque admonitus ab iis viris, principis hujus ministris, qui eum deducebant: esse nos in opposito loco, constitit, coepitque nos respicere. Quumque non

posset facies nostras exacte assequi, quod eramus intra transenas, vertit erga nos gressum; vicissim nos quoque illi occurrere non praetermisimus, ibique plurium Turcarum et Persarum ejus comitum in coronam cincti, prior nos salutavit, precatusque nobis omnia felicia; dixit tandem, quod nos valde libenter viderit, quodque etiam, passa permittente, conveniet colloqueturque nobiscum, ut cum amicis et magni imperatoris oratoribus; nos vicissim pari functi officio, pariterque declarato illi nostro desiderio eundem videndi, propter quod etiam eo usque obviam illi ex urbe prodierimus, subjunximus: congressum et colloquium ejus nobis quoque gratissimum futurum, curaturosque apud passam, ut id utrisque concedere non gravetur. Audivimus postea multis hoc fuisse admirationi, nec displicuisse etiam principi ac passis ejus. Et haec de Persa hoc loco.

Insequenti die, quae fuit XVII, accersiti sumus a passa, nihil interim tale exspectantes, sed potius ex adventu hujus oratoris magnum certamen metuentes super arcium negotio, quod ita acriter inceperat urgere; coram quo ubi astitimus, et solito more jussisset nos assidere, mox exporrecta fronte vultuque nonnihil laetiore, subridentique, et ad lenitatem, quasi data opera, composito, de nostra ac de sua religione, incipiendo ab Adam et Eva, in quibus originem suae ponebat, argumentum proposuit. Miratique intra nos, quorsum tenderet, moveretque id sermonis, dubitavimus quoque, ne nobis aliud quodpiam injecturus esset negotium, arcium nodo nondum dissoluto. Ei tamen hoc interim, pari persona obducti vultus gratificari omnibus responsionibus, quas necessarias fore putavimus, non omisimus, hinc nostram religionem sal-

vantes, inde ipsorum non laedentes. Postremo hora ferme data huic colloquio, ipsemet: cessemus, inquit, de religione agere, et ad rem veniamus, cui jam finis imponi debet.

Tunc orsus a re arcium Vesprimii et Tattae, ususque oratione ad benevolentiam, qua majestatem vestram dicebat se complecti, accomodata, coepit excusare se, quod hactenus de memoratis arcibus imperatori suo nihil fuerit ausus loqui sine aliquo idoneo praetextu, ne sibi illudi diceret, quum intellexisset priorem de illis transactionem, cui consenserat, irritam fieri et in aliam commutari. Verum allatis litteris a majestate vestra, quas quinta Januarii Vienna dederat, eisque rumores illos diluebat, qui per Hungariam a malevolis sparsi fuerant, quod Lazarus Suenda oppugnationem in arcem Hwzt, aut quid simile pararet in Transsylvania; quas quidem, inquit, litteras animadverti, valde opportunas esse, ut earum interventu et imperatoris vestri de his rumoribus innocentiam exponerem, et de arcibus memoratis facerem liberius mentionem. Nec fefellit me opinio. Quia idem imperator meus, laetus, quod rumores per delatores ex Hungaria allati, fuissent falsi, quodque insuper agnovisset perseverantiam imperatoris vestri in retinenda ejus amicitia, et studium, quod gerit in conservandis finibus quiete et tranquille, non aegre audivit etiam de arcibus, quam tunc illi feceram mentionem. Addens illud quoque, quod subjunxisset: bene est, inquiens, ita fiat, si modo et nostrae stabunt permanebuntque incolumes. Meque respondente, quod sic, petitioni vestrae assensus est, vobisque Vesprimium et Tatta salvae erunt. Hunc in modum res acta est de his arcibus, quae certe nobis non parum sudoris expresserunt.

Die post XX. ejusdem Februarii iterum ab eodem passa accersiti sumus, propositoque nobis Gallorum, Venetorum, Polonorumque negotio, quos omnino includi in pacem hanc volebat, institit etiam summo conatu, ut in ratificatoriis litteris utriusque partis ea etiam periodus inscriberetur: Amicus amicorum, inimicus vero inimicorum. Utrumque exhorruimus, maxime autem postremum. Nobisque tum respondentibus; hac de re nos nullas habere commissiones, caeterum si hi status hoc animi habuerunt, oportuisse illos tempestivius aut nobis loqui, aut curare, ut ab imperatore nostro certa mandata super hoc habuissemus. Verum hoc tempore pacis conclusae jam serum esse, nec posse nos vel verbo unico quicquam agere. Alioqui intercedere majestati vestrae cum hiis omnibus statibus non incertam amicitiam et confoederationem, cum Gallo vero et Polono eandem affinitate etiam conjungi, oratoresque et illam apud eos, et eos apud illam conservare. Demum, si quid novi vinculi ab aliqua partium desideraretur, peculiaribus legatis imperatorem nostrum convenirent et transigerent, quibus omnibus humanissime esset responsurus. Nec vestrum principem Christianorum rebus admiscerent praxibus hujusmodi.

De ea autem periodo, ut imperator noster imperatoris vestri sit amicus amicorum, inimicorum vero inimicus, esse quidem hoc valde novum imperatori nostro, quod nullis adhuc priorum imperatorum confoederationibus id in usu fuerit. Ne nunc quoque Maximilianum Secundum admittere velle. Quod quale et cujusmodi sit, nec a vobis, nec a nobis ignorari. Nostrumque imperatorem prohiberi, quod cum vestro non sit ejusdem fidei, et quoniam vester praecipue in

Christianos saevit, quorum noster ante omnes alios christiani nominis principes summus tutor, defensor ac protector est, qua ratione fieri possit, ut inimicorum ejus profiteatur se inimicum ? Ideo si qui Christianorum levius aliquid judicant de his et de se constituunt, privata sua publicis praeferentes, ipsi viderint, imperator certe noster talium exempla non imitabitur. Et solus suo, fratrumque suorum nomine cum imperatore vestro sinceriter, amanterque pacem facit, eamque constantissime observabit, caeterorum formas confoederationum nec attendit, nec oppugnat, subditorum suorum dumtaxat tranquillitatem, quietemque procurat.

His non acquiescente passa, et adhuc aliis atque aliis oppugnante nos rationibus, ut omnino et hii tres status acciperentur in nostram pacem, et ea periodus, principe Christiano cum Turca pace conjuncto minime digna, in ratificatoriis utriusque partis includeretur, non tulimus enormitatem rei, expositaque iterum tota ejusdem periodus ratione, distinctius adjecimus quoque pleno ore, ut sciret serio nos pro honore majestatis vestrae agere, impossibile esse, ut imperator noster eam adeo infamem principi christiano periodum usurpare et proferre queat. Obsurdescente passa etiam ad haec, eo tandem profecti fuimus ejus pervicacia, ut dixerimus : cessandum ei esse ab hujusmodi postulatione ; non esse opus, neque conveniens, ut imperatores Turcarum dissidia principum christianorum componant et foedera curent. Passam quoque non cognoscere hominum intima, et esse quosdam, qui uno commento vellent et te, et imperatorem nostrum post suas praxes abducere, in reteque, in quod ipsi descenderunt (causis nunc non explicandis), conjicere.

Quod utcunque tu consideras, nos tamen haud quaquam volumus, ut a spiritibus hujusmodi frenum sive lupatum imperatori nostro imponatur.

Non intellexit passa initio freni metaphoram, et arbitratus est, nos de potestate imperatoris ejus loqui; subjunximus itaque, nos de imperatoris ejus freno sive lupato non fecisse hanc mentionem, sed de eorum, qui quum imperator noster habeat et fratres et consanguineos et cognatos et amicos et demum magnam Christianitatis partem, quibus omnibus auxilio suo tempore necessitatis minime deesse possit (perturbantibus interim iis et suos et alienos, ut, qui nunc etiam in Galliis regem suum legitimum paterno regno exturbare conantur), vellent, subito apud imperatorem vestrum exclamare posse: Maximilianum imperatorem rupisse pacem, quod ejusdem imperatoris vestri amicos et inimicos pari opera offendisset, contra utrosque suppeditando suis subsidia. Et hoc est frenum sive lupatum, quo imperator noster nequaquam astringi velit. Nec nos, ad quod urgemur, praestare possumus. Careant itaque utriusque partis ratificatoriae litterae hujusmodi inconvenientiis, quia alioqui protestaremur, imperatorem nostrum neutrum horum admissurum. Pace interim in sua simplicitate et sinceritate cum magnitudine imperatoris vestri permanente eo modo, quo jam in articulis utrinque approbatis conclusum est et decretum.

His responsis nostris haud obscure, passam turbari apparebat rem nihilominus extenuare inceperat, solere haec fieri inter amicos et confoederatos. Venetos autem illis jam ferme a trecentis, Gallos et Polonos a quinquaginta circiter annis pace et amicitia esse conjunctos. Nec posse imperatorem suum

id formulae ex diplomatibus suis foederalibus excludere, qua usi sunt omnes sui majores; ideo haud dubie hos confoederatos suos ipse in ratificatoriis suis includet, aut imperator vester in suis respondebit aut non, quod ei erit liberum. Hic nos supramemorata protestatione adhibita, eotunc discessimus ab eo, alia super hoc conclusione non facta.

Postea occupati cura articulorum, quos non ita pridem exhibueramus, censuramque, et an placerent passae, scire exspectabamus, instabamus quoque ad postremum, ut, si placuissent, ratificarentur imperatoris ejus reversalibus, non dissimilibus his, quas est datura majestas vestra; et tandem, fine etiam caeteris omnibus rebus imposito, expediremur. Respondit: articulos sibi placuisse, ut rite factos, seque jam etiam mandasse eorum cancellario, ut dictae imperatoris sui ratificatoriae cito conficiantur, maturaturumque omni studio, ut citra moram longiorem absolvantur; nosque interim pararemus, ut ad XXIIII. diem memorati Februarii imperatorem suum adituri, veniamque discedendi ab eo accepturi, qui XXII. auditurus esset Persam.

Audito itaque Persa, nobis vero die constituta expeditis cum inauratis vestibus, quod reliquum temporis habuimus, denuo cum passa conflictati sumus. Primum ob Gallorum, Polonorum, Venetorumque negotia et periodum illam molestissimam auribus ingenuis; deinde ob articulorum directionem. Passa enim ubi dixisset nobis, imperatorem suum non ad decennium (sicuti nos volebamus ad differentiam superioris octennalis), sed ad octennium velle fieri: posse alioqui eandem pacem successu temporis in plures etiam annos provehi, ubi vidissent, quomodo hanc esse-

servaturi, annuimus vel unico verbo in contrarium non facto, quod hanc mentem vestrae quoque majestatis ex postrema instructione fuisse cognovimus, novas nobis difficultates movit, nimirum, ut communium colonorum divisio non aliter fieret, quam secundum imperatoris ejus librum. Item, ut quaedam arces et castella, jam eorum Marte distracta, Chorgo, Zakan, Chakan, Seghesd, Marzaly, Licches, Sogro, Chehwar, et Erdewd a majestate vestra non repararentur. Item ut cursus muneris honorarii non a conclusione pacis, vel a data ratificatoriarum, juxta veterum foederum transactiones, sed ab octavo mense jam elapso inciperet, videlicet a Julio, cujus kalendis Posonio discesseramus. Et hoc, existimans, posse se turcica sua vafricie nobis imponere, ut intra restantes menses quatuor proximum munus honorarium reciperent.

Necdum itaque odiosissimae illius periodus, et Gallorum, Polonorum, Venetorumque negotio liberati, haec insuper nobis injecta est sollicitudo valde et gravis et molesta praeter omnem exspectationem. Dumque aestuamus cura et cogitatione, quibusnam rationibus deberemus hiis occurrere, allata est nobis copia ratificatoriarum hujus principis. Qua traducta et perspecta, vidimus et periodum memoratam esse exclusam, et de his tribus statibus nihil aliud esse ascriptum, quam ut sciant omnes, quod illos jam a longo tempore habeant tum amicos, tum confoederatos. Tuncque demum victores nos factos esse de hoc nodo animadvertimus, cui valide obstiteramus, siluimusque, ne deinceps etiam memoria ejus refricaretur. Consideratis postea etiam reliquis, tria quoque illa, de quibus paulo ante attigimus, ita in dictis ratificatoriis expressa esse reperimus, ut passa nobis

proposuerat, excluso prorsus eo quoque articulo, qui est, ut utrique parti liceat in suo reparare munitiones veteres, et instaurare novas, quo majestas vestra hujusmodi exceptiunculis, cujusmodi ea quoque est de castellis non reparandis, gravaretur, ipsi vero ubique locorum pro suo arbitratu munirent.

His nos omnibus citra moram reformatis atque emendatis, et in scheda annotatis quod cuique articulo aut addi aut demi reponique pro hiis oportebat, quae vel cum praejudicio majestatis vestrae in eis deerant, vel praeter rem supererant, die IX. Martii passam adiimus, et de hiis, quanto diligentius potuimus, egimus. Ac primum de colonis communibus. Nos quidem non annuisse, ut secundum librum imperatoris ejus directe fieret divisio eorundem colonorum, sed ut idem liber mitteretur ad commissarios, ibique excuteretur, ac sic demum transigerentur omnia, quaecunque huc spectare viderentur, quandoquidem nec majestas vestra, nec nos quoque quicquam sciremus de hoc libro, expeditque omnino, ut illum majestas vestra perspectum habeat, quem hucusque omnino ignoravit. Circa quod insumpta contentione non exigua, obstinate enim exigebat, ut eorum libro duce tota res ipsorum colonorum istic transigeretur, postremo obdurantibus etiam nobis nihilo ipso obstinatius: quia bene sciebat, ita fuisse acta omnia, ut nos loquebamur, cessit, et illum articulum ex sententia nostra moderari jussit.

Durius aliquanto egit de castellis, et omnino institit, ut a majestate vestra nullae reparentur, quaecunque ipsi destruxerunt, praecipue autem Chehwar, et Erdewd; sic esse imperatoris ejus voluntatem et mandatum. Contra quam violentiam ingerentibus no-

bis: indignum esse, ut, quum sit expressus articulus in transactione nostra, quo declaratur, utrique parti licere in suo vetera reparare et instaurare nova, velit horum castellorum peculiari exceptione et majestatem vestram gravare et eidem articulo vim atque injuriam afferre, excludendo illum, et tenorem ejus infringendo. Cui exceptioni si est dandus locus, nos quoque pro communi aequitate aliam similem opponemus vestrae, ut hujusmodi oneris ambae partes aequaliter sint participes. Sed quum ex hoc reverteremur in controversias jam complanatas, quod esset et nobis et illi permolestum, pacique jam conclusae non accomodum, rogavimus eum, ut hanc exceptionem omitteret, et soli articulo memorato locum daret, inscribereturque in sui imperatoris ratificatorias. Non acquievit, sed eo acrius instare coepit, sic ut diceret, imperatorem suum ita fieri omnino velle. Colloquuti tunc inter nos, hoc esse violentum et plane tyrannicum, alienumque ab omni ratione et ab aequitate, quod per fas, nefasque exigeret, aliud facere nequivimus, quam ad postremum illi respondere: nos huic exceptioni haudquaquam subscribere, sed protestari, eam esse indebitam, hoc etiam differre ad majestatis vestrae deliberationem. Placuit dilatio, et articulum de libertate muniendi in suo loco jussit in memoratis ratificatoriis ascribi. Nec enim aliter potuimus ab ejus pervicacia elabi, vitantes omnino, ne denuo in contentiones pristinas recideremus.

Supererat statuere de tempore cursus muneris honorarii. Conclusa enim pace XVII. Februarii, respicientes ad datam credentialium majestatis vestrae, quae fuit XXIII Junii, volebat eundem cursum incipi primum mense Julio, quo Posonio discessimus. Re-

clamavimus. Deinde Augusto, quod tunc Constantinopolim appulimus, munus exhibuimus, et de pace agere incepimus. Reclamavimus. Postmodum Octobre, quasi gratiam nobis facturi de dimidia parte octo mensium, quibus hic et in itinere fuimus. Reclamavimus, semper interim unum urgentes, ut aut a conclusione pacis, aut a data ratificatoriarum idem cursus sumeret initium. Petente tandem passa mensem Januarium, ut initium nostri anni: nolentes aliquid ei non concedere, ne illum alieniorem a majestate vestra redderemus, annuimus. Et sic initium cursus muneris honorarii datum est mensi Januario.

Demumque quia ii nec nostras phrases intelligunt, nec habent tales interpretes, qui bene pollerent linguis latina et italica, immo etim turcica, ut recte scripta nostra reddere possent: omnia ita admisimus, ut necessitas voluit. In quo quidem non parum sudavimus, curantes, ut ab eorum stylo ac phrasi non recederemus, efficeremus alioqui, ut quoad ejus fieri posset, et ipsi sensus nostros et nos eorum assequeremur. Sic hac ipsa die IX. Martii omnium, quae restabant, finem attigimus.

Expeditis autem nobis, inducti sunt confestim ad passam secretarius et interpres oratoris Galli, quos audita conclusione pacis nostrae, magnis huc itineribus jusserat advolare, et sollicitare insanias, jam aliis nostris majestati vestrae perscriptas; sed non valde gratum responsum habuere. Instabat orator totis viribus, ut Ugonotti sui, elector quidam, et certi principes imperii, Ugonottorum confoederati, qui plurimum prodessent Turcicis rebus atque successibus, distinendo occultas voluntates, conatus et consilia majestatis vestrae, ne potentiae suae evehat in majus in-

crementa, cogeret nos in hanc ipsam pacem admittere. Eum principi suo magna commoda ex hoc comparaturum, impediturumque maxime imperatorem Maximilianum, ne et regi suo contra Ugonottos suppetias ferre possit et in imperio summum dominium sibi constituat, ad quod praecipue anhelat, pervenireque contendit; venturos autem et ab electore, et ab iisdem principibus, Ugonottisque propediem ad imperatorem ejus oratores cum muneribus, et plane tunc cogniturum, vera esse, pro quibus ipse tantopere esset sollicitus et aestuaret.

His auditis, quaesivit passa: Ugonotti quinam essent in Gallia, et cui parerent principi? Similiter et Elector ac caeteri principes in Germania, de quibus orator significaverat, cuinam subessent principi? Responderunt: quod Ugonotti regi Galliarum, Elector vero cum principibus nominatis imperatori Maximiliano. Subjunxit passa et cum ironia, et cum commotione animi, inquiens: Quid ergo is orator et regis sui rebellium adeo sit sollicitus, ac praecipue curam eorum gerit et alienos subditos in alieno regno ad rebellionem concitat? quare non curat ea, quae sunt sui principis, et desistat quaedam in medium proponere, quae nullum modum, nullam habeant rationem? Ite et renunciate illi, non ingerat sese in haec, ad quae imperator meus non vult nunc attendere, ut ad res et forma et judicio carentes; caeterum eundem imperatorem meum non omisisse eam de ejus rege mentionem in dicta pacificatione facere, quae visa est esse sufficiens ad sinceritatem confoederationis et amicitiae, quae est illi cum eo, conservandam et retinendam. Repressi hoc aculeato responso secretarius et interpres, copiam petierunt

transactionis ejusdem pacis. Respondit passa: eundem oratorem nunc non oportere esse sollicitum de transactione. Alioqui visurum se et illis responsurum. Sic eo tunc illos ab se expedivit. Ut autem majestas vestra dignetur credere, sic cum iis hominibus et cum eorum domino esse actum, Mahmut interpres, majestati vestrae fidelis, de verbo ad verbum haec nobis retulit, qui ibidem, dum res agebatur, praesens erat. Adjecitque, quod passae idem orator esset odiosissimus; quippe qui qua sit conditione homo, quove polleat ingenio, vel ex his majestas vestra poterit cognoscere. Quia admodum certe infantili et turbulento; nec ea existimatione (ajunt) illum domi suae pollere, quam hic ostentat, vocatur autem Gulielmus de Gran Rie signor de Gran Ciampo.*)

Quod jam attinet ad alia. Camelopardus, sive gyraffa (ut nunc vocatur) negata est nobis, sed promissa alia, quam affirmavit passa exspectari; sine autem hac praesenti noluisse carere suum principem ob raritatem ferae, quodque multi viri militares equos suos timiditate infames admovere ad eam soleant, ut discant esse animosiores. Frigida satis negationis causa, sed noluimus eam urgentius postulare ob majestatis vestrae dignitatem.

Captivi aeque nobis nulli sunt concessi, dixit enim passa, quodsi imperatorem suum de hac petitione interpellasset, mox intulisset: num vicissim a majestate vestra Zecieniensis beghus fuisset ei missus; quod quum non sit factum, me etiam silere oportuit. Et curetis diligenter, ut imposterum hoc genere officii im-

*) Azaz: seigneur de Grandchamp. Hammer e kettős névből hibásan két személyt farag ki.

perator vester gratificetur meo, si ab eo paria habere voluerit. Super qua re multa cum eo postea colloquuti, conquesti insuper sumus, quod omnes insignes viros nostros, qui in eorum captivitatem incidunt, citissime exstinguant, propterea cessarent sic saevire in nostros, si ipsi quoque suos habere a nobis velint. Quum revera consuetum sit, officiis officia pensare.

Pro Hieronymo Fabino, qui hujus principis fuit captivus, jam aggressi eramus liberationis ejus initia, sed interim filius ejus, Joannis Andreae Aurii miles, habens apud se captivum Turcam conditionis non postremae, transegit cum eo, ut, si ipse liberari velit, patrem suum permutatione sui curet liberandum. Sic hac re ad passam primum, inde ad principem delata, concesus est, et Aulonem mense adhuc Octobre deductus, ut ibi Turcae et Christiani permutatio transigatur.

Dominicus Zeffus interpres donatus erat nobis initio, sed postea, revocata hac donatione, dixit passa, principem suum scire voluisse, quosnam captivos postularemus, in quibus quum nominavisset etiam exulem Zeffum, quodque illum nobis concessisset, excanduisse illum supramodum, mandasseque, ut omnino nulla gratia in eum conferretur, et perpetuo exilio Theodosiae, sive Caffae damnaretur. Causamque ejus casus, quum Deo volente redierimus, exponemus. Neque tamen contenti semel pro eo passam rogavisse, novas preces, easque fortiores adhibuimus. Respondit tandem, quod videbit. Sic in hoc statu Zeffi rem dimisimus.

De Galli vel potius Ugonottorum oratore adhuc plura haberemus, sed quia ex trino ejus scripto, passae hic per homines suos porrecto, nobis vero a Mahmutto interprete impertito, omnia intelliget, noluimus

esse prolixiores, illud tantummodo rogati exequemur, ut, si majestas vestra modum aliquem habebit, curet hunc hominem caute summovendum, quod (ut idem Mahmut nobis affirmavit) serenissimi regis Philippi opera facile fieri poterit, habebitque etiam passa pro re gratissima, quod hic mallet ex eo regno maturiores et graviores homines hujus officii residere. Quum is sit juvenis levissimus, et qui, quum regis sui nomine venerit ad hunc principem, Ugonottorum impudentissime et intempestivissime tractat negotium, discordiarum ac belli causas inter principes movens, quas ii nunc haudquaquam volunt, easque omnibus modis ac rationibus, quibus possunt, vitant et aversantur.

A Transsylvano X. mensis hujus advenerunt duo nuncii: Nicolaus Orbay et Franciscus Balogh cum tributo. Ad quem dabuntur mandata, juxta passae verba, ut sese omnibus articulis pacis accomodet, in Transsylvania quietus maneat, suos quoque in officio secum domi contineat, neque foris ullo loco vel per se vel per suos grassetur; et si fortasse fecerit contrarium, sciret hunc principem inobedientiam illius non laturum. Mandatum ei quoque est, ut sine ulla tergiversatione, arces Chycho et Kykellewwar restituat Moldavo. Similiter et Transsylvanis concessa est facultas, vajvodam ex sese deligere, si is, qui nunc illis praesit, Joannis regis filius sine liberis decessiset.

Eum etiam articulum de commutatione bonorum cum Transsylvano obtinuimus. Ne tamen viderentur statum eum, quem possidet, nimis se illi absolutum contulisse, addiderunt ei, ut consensus commutationum hujusmodi ex hac porta peteretur. Alioqui non essent omnino futurae validae.

Praeterea, si aliquando contingerit, ut idem Transsylvanus partem aliquam capitulationum pacis cum offensione subditorum majestatis vestrae transgrediatur, dixit passa: nequaquam imperatorem suum assentiri voluisse, ut ipsa tales injurias vindicet, sed eas huc transmittat, qui in eum propterea ita animadvertet, ut majestati vestrae bene satisfiet. Et subjunxit causam: quum enim, inquit, idem Transsylvanus sit subditus, et tantummodo zanziacchus imperatoris mei, non rex, quandoquidem idem imperator in regnis et provinciis suis non educat cuiquam reges ac dominos liberos, sed sibi ipsi duntaxat servos et mancipia, puderet illum tales ab alienis castigari; se tamen daturum operam omni diligentia, ut majestati vestrae non sit molestus, neque injurius, sedeatque in eo pacifice, quod ei impartita est principis mei liberalitas.

Ii autem duo ejus nuncii, interrogati a passa: Banya, bona Erdewd et Chehwar, in Transsylvani ne, an in majestatis vestrae potestate forent inpraesentia? responderunt, quod in Transsylvani; qua opinione passa semper fuerat, nuncque magis ac magis ita esse crediderat, iis nunciis auditis. Quod nos pro viribus nostris magno conatu impugnavimus. Nihilominus commisit inscribi in ratificatoriis: ne Banyae quoque castellum instrauraretur, cujusvis auspiciis et potestate teneretur. Nos vicissim non cedentes ita subito, constantissime affirmavimus, dudum haec tria loca esse in manu majestatis vestrae, nisi quod Transsylvanus populationibus ea vexat etiam modo, quaerens occasionem, qua sub tractatu pacis hujus in se transferre posset. Idque clarius patebit cum aliis rebus, quae in confinibus per commissarios tractari debent. Ad quae conticuit nonnihil, cessan-

tibusque et nobis, quia loqui plura jam frustra erat, recessimus ab eo.

Verum quia Transsylvanus nondum acquieturus est, quantum audimus, ut excidat ab hiis tribus locis, majestas vestra dignetur caute curare, ut suis praesidiis seu officialibus teneantur, ne qua ansa huic molestissimo homini, veritatis, aequitatisque, immo et commodorum suorum ignaro detur ad prosequendum solitas turbulentias, tandemque et Banya et Erdewd et Chehwar apud majestatem vestram remaneat.

De domino Zlwny et Ladislao Giulaffy magnae, crebraeque afferuntur huc querimoniae. Et adduxerant ad nos de utriusque militibus gregariis, in excursionibus captis, qui palam fatebantur, rem ita se habere, ut Turcae loquerentur, quodque a dominis suis fuissent missi praedatum. Homo autem Hamzabeghi, Bosnensis praesidis, illud etiam passae affirmavit, quod Zluny cum ducentis et cum trecentis equitibus in mediam usque Bosnam, nobis jam hic existentibus, aliquoties excurrerit, quodque ipsum etiam beghum ad singulare certamen provocaverit. Quae quidem nos, quantum potuimus, conati sumus diluere omnibus opportunis remediis. Nimirum, rem pacis adhuc esse sub nube, et in suis principiis; necdum ea ad istas partes advolasse, quae nos hic confecimus, ubi tamen latius omnia innotescent, cessaturas ubique ejusmodi turbas ac licentias. Haberet tantummodo interim pacientiam donec nos ad majestatem vestram revertamur, quo tempore omnibus rebus ordine necessario posito, tunc demum similes querimonias locum habituras, si idem ordo negligentius servaretur; pluraque alia in hanc sententiam, adeo ut passa quoque his acceptis, visus est minus commoveri querulantium clamoribus.

Verum majestas vestra dignabitur hujus licentiae clementer providere, ne et dominus Zluny Croatiae reliquias in periculum ultimum adducat, et dominus Giulaffy majorem sitim hostibus injiciat de Vesprimio diruendo, quod nos tanta contentione et labore, Dei beneficio conservavimus.

De Uzkokis quoque Segniensium multum institit passa, ne teneantur, et voluit etiam, in articulis rem illorum includi. Nec dici potest, quantopere eorum pyratica offendantur hostes; audivimusque, quod superiori anno triremes certo numero voluerint in portu quodam ejus maris opportuno ad reprimendos eosdem Uzkokos conservare, sed Venetorum opera avocatos ab hac voluntate fuisse. Idque eo potissimum argumento: (sicuti nobis Turcae quidam retulerunt) futurum haud dubie, ut contra eos omnes Christiani status insurgant, si hoc hic princeps attentasset.

De oratore autem Persae aeque ad scribendum multa essent sed summarie cuncta perstringemus. Ajunt, quod magna summissione egerit apud hunc imperatorem in prima audientia de suo principe. Etenim pace postulata a Selymo, quam adhuc cum patre ejus habuerat, professus quoque est, quod quoadusque vivet, nunquam ensem suum stringet in illum, et si forte contingeret, eum cum ipso simul quopiam loco castra habere, (hujusmodi enim metaphoris utebatur) nunquam portas tentorii sui oppositurus est portis ejus tentorii, sed illas semper vertet ad eam plagam, in qua senserit illius hostes esse. Proinde ut parentem ejus pro parente suo habuerit et coluerit, ita ipsum Selymum fratrem suum habere bono jure possit: verum non aliter habiturum se et culturum illum, quam habuit et coluit patrem, contra quoque

ejus hostes, et maxime Christianos semper arma sua cum illius collaturus, quandocunque jusserit. Haec ab eo duntaxat petere, ut imposterum liceat Persis Meccham et communis prophetae sepulturam libere visere. Quod antea interdictum erat illis propter haeresim, qua eos damnant et aversantur Ottomani; deinde ut Turcmenes, qui Kecie passii et Jessil passii nuncupantur, incoluntque Parthiam atque Ircaniam, desinant illi esse molesti. Qui quum sint populi potentes, et confoederati Turcae, ita Persae dicuntur esse infesti, ut idem Persa nisi solos hos haberet hostes, dudum excussisset Ottomanicum jugum.

Selymus haec omnia illi detulit, voluitque vicissim, ut quaecunque in illis finibus uterque illorum possideant, deinceps quoque obtineat pacifice; demum, ne subditos suos cujusvis nationis ex Arabiis aliisque provinciis suis, illi inibi vicinis, transfugientes in ditiones, ejus recipiat, sed eos aut ipsemet jubeat affici poena capitali, aut suae potestati tradendos curet. Nec ulla mentio ab eodem oratore facta est de promissis Selymi ob fratris et IIII. filiorum ejus parricidium, (uti ante futurum ferebatur) tanquam nihil tale unquam inter eos accidisset.

Munus autem quod Selymo attulit, affirmant, fuisse opulentum: tentoria, tapetes, lapides pretiosi, margaritae, turchinae, bezaari et complura genera gemmarum ac res aliae multiplices in Asiaticum decorem elaboratae ac exornatae. Quo cultu etiam ipse orator et sui comites nobiliores circiter centum quinquaginta cum equis simul apparuerunt in curia spectabiles.

Quum autem idem orator initio conveniret de more passam, quidam ex plebe, religionis suae (uti

dicunt) zelo ductus, propter haeresim, quam Persae profitentur, sclopi globo interficere, dum it per viam, tentavit. Sed oratore evadente periculum, unum ex comitibus ejus, qui proxime sequebatur, in manu vulneravit. Exterritus orator tanto casu tantoque facinore, existimansque, quod res data opera fuisset perpetrata, referre se ad hospitium volebat; sed mox a passa praecipuis viris suae aulae ad eum misis, qui ei suspicionem eximerent curarentque ad se adducendum, eodem tempore comprehenso etiam homine patratore sceleris, et confessione ejus habita, jussit illum per totam urbem equo in mortem rapi, necdum oratore a passa digresso. Sic demum et suspicio Persae exempta est et placatus ad hospitium reductus est.

Alius quoque casus accidit hic non multis diebus ante adventum oratoris Persae. Beghus quidam de genere Curtorum, qui Assyriam et Mesopotamiam incolunt, venerat huc citatus a quadam parte gentis ejus, quod esset domi turbulentus et quam plurimis injurius. Passa adhibiturus questionem ejus negotii, miserat supremum praefectum ciausorum cum bono numero hominum sui ordinis, mandans, ut ad se accerseretur, et si forte venire recusasset, caperetur et adduceretur vinctus.

Erat ipse tunc in templo quodam orans cum paucissimis familiaribus, omnibus pro more suae gentis, sica armatis. Venit ad eum praefectus, ciaus passy nominatus, corripit raptim hominem, aitque captivum esse caesaris. Offensus beghus inopinata injuria, exclamat, quaesita causa, quidnam ejus magnitudini deliquisset? Caeterum socii mora rei nulla interposita, stringunt sicas et uno momento praefectum cum duobus aliis mox occidunt vulnerantque complures,

non paucos quoque in fugam vertunt, omnesque cum begho, equis conscensis profugiunt ex urbe. Immissi mox, qui fugientes insequerentur, beghumque haud ita longe fuga provectum capiunt cum suis, et in carcerem omnes simul conjiciunt. Die insequenti, facto judicio a veziriis et kady lescheris in divano principis, mortis sententia condemnantur, et citra moram ipse beghus ibidem in curia capite plectitur, ex comitibus vero circiter XXXII. extra urbem et suburbia educti, per viarum compita diversis suppliciis necantur.

De motibus autem quorundam Arabum, qui partim insulas Euphratis, quae dicuntur esse ad LX. sub dominio cujusdam reguli, Ulian Ogly turcice nuncupati, contra Bazeram civitatem Persico mari adjacentem, partim vero aliorum, Gemen similiter civitatem insignem ad Mare Rubrum incolentium, contra praesides suos excitatis, fortasse praetereunda erat nobis commemoratio, ut de re longinqua et non tanti, ut ea noster orbis sollicitus esse deberet. Sed quum haec quoque sollicitudo hujus principis non est postrema, quod Mecchae et earum partium pluribus ejus provinciis ex vicinitate memoratae civitatis Gemen grave videtur imminere periculum, id etiam novitatis, qua Selymus valde perturbatur, ad caesaream majestatem vestram perscribere voluimus.

Beglerbegus enim Babiloniae, injuria quadam Ulian Oglyi vicini sui offensus, quum ejus potestatem habere non posset, forte sororis ejus factus compos, eam suspendio necavit (sic enim dicebatur.). Ille ulturus generis sui, maxime tam propinqui ignominiam, urbem Bazeram, in ostio Euphratis ad Persicum Mare positam, magnis copiis pedestribus, quod ejus ditio equis careat, possit alioqui ad LXX. et ad

LXXX. hominum millia in aciem educere, coepit hostiliter infestare et premere, ascitis sibi etiam amicorum auxiliis. Hac rebellione commotus beglerbegus, ipse quoque summa celeritate quas potuit, subito coegit copias, easque duxit in regulum, habitoque cum eo praelio fudit illum, non tamen ita superavit, ut victus foret. Quin potius effervescente in eo majore ira, majores etiam copias aggressus est in arma excire, et fortius in Bazeram saevire, quum videret solum beglerbegum Babiloniae non sufficere ad eum debellandum.

Gemenses praefectorum suorum expilationibus durisque et crudelibus imperiis succensi jugumque excussuri Turcicae tyrannidis adeo inhumanae, ineunt primum inter se, deinde cum provincialibus consilium quam secretissimum, et die dicta facinori, ubi omnes ad rem gerendam fuere parati, simul et urbani beglerbegum, zangziacchosque armati invadunt atque interficiunt, una cum toto ejus loci praesidio; caedeque tanta, tamque ingenti perpetrata, omnes quoque civitates tam littoreas Rubri Maris quam mediterraneas intercipiunt et praesidiis necessariis muniunt.

Selymus itaque de his utrisque adeo inopinatis motibus in sollicitudinem haud exiguam actus, Muztapham quendam passae titulo jam fungentem, virum aetate provectum, et paulo ante Damasci beglerbegum nulla rei mora data, septimo veziriatu donat, eique summa potestate in illis regionibus bellicorum munerum demandata, traditoque etiam exercitu centum ferme millium armatorum, tam equitum, quam peditum ordinis janizerorum, jussit, ut in Babiloniam, quam maximis itineribus possit, contendat, et cum ejus loci praeside, curet eos tumultus compescendos, puniendosque rebelles, si superare poterit. Quando-

quidem ajunt, hos utrosque Arabes duplo majores copias habere posse quam hae sunt Muztaphae traditae, si serio incepta urgere voluerint, contendentque in omnem eventum ad victoriam tantae suae audaciae. Quis jam eorum motuum sit futurus finis, incertum est. Indies alioqui valde avide illinc nuncii ab hoc principe exspectabantur, quum nos jam essemus in discessu. Faxit Deus, ut illae etiam res ita cadant, ut Christianitas sentiat aliquod emolumentum, quum ii aeque metuunt de re male suis successura, ac spem habent de victoria obtinenda propter potentiam eorundem Arabum. Opinantur tamen Turcae et plures alii gentium earum ingenia callentes, quod ubi Selymus moderatiores praefectos dederit, demissuros animos temere susceptos, et ad officium reversuros, punitis rebellionum authoribus, et qui potentiores erunt, Ulianum Ogly omnino opprimere, et ditionem ejus in potestatem hujus principis redigere conabuntur, quo et Babiloniae et Bazerae partes securiores sint hoc sublato regulo. Quod si forte assequetur hic princeps, affirmant, tantos illi ex eisdem partibus reditus proventuros, quanti proveniunt ex Aegypto. Idque propter commercia, quae fiunt Babyloniae et Bazerae.

Dicunt autem, quod initio Selymus non parum hoc motu trepidaverit, veritus ne se cum Persa iidem Arabes conjunxissent, quando de illius quoque motibus tanti rumores Constantinopolim afferebantur, dubitabaturque admodum de adventu oratoris ejus. De quo revera diu est dubitatum. Verum postea, ubi oratorem adesse vidit, cognovitque ex eo, quanam esset erga se Persa voluntate, quodque pacem peteret, de bello neque mentionem faceret, respiravit a trepidatione, et tumultus Arabum multo minoris momenti

apud se habuit. Quanquam non omnino metu liberatus, rei eventu sollicitus, laetus alioqui supramodum de pace cum majestate vestra et cum Persa transacta, ajunt peculiari quadam hilaritate fuisse affectum, frontem etiam ultra solitum et foris et in domestico ac privato convictu multo amplius exporrexisse, et indulsisse genio.

Persae quoque oratorem eo tunc expedire volebat, sed initium jejunii obstitit, quo legibus et disciplina majorum vetitum est Turcis, dare operam conviviis, quibus et excipere et expedire, pro insigni honore morem habent. Sic a bariano mox expedietur, reverteturque etiam Selymus Constantinopolim ad diem circiter XXVI. Aprilis, curabitque (uti sermo communis erat) triremes XXX. Alexandriam in Aegyptum mittendas, metu tumultus Arabum, ne quid etiam illuc extendant suae audaciae. In Aegaeum vero mare alias XXX. eas partes Graeciae custodiendi gratia, non autem aliquam Christianitatis regionem offendendi consilio, si modo perfidiae Turcicae secure sit fides adhibenda, qui omnia dolis agunt.

Quod reliquum est, hae postremae nostrae epistolae binae totam actionem nostram in se continent, quam ab Eduardi reditu usque ad conclusionem pacis habuimus cum Turcico principe Selymo, et cum supremo ejus vezirio Mehmetto passa, adjunctis ei etiam illis privatis, et mixtis quibusdam aliis rebus suo ordine, quas Eduardo non dederamus celerioris ejus expeditionis gratia.

Quod autem et nos serius Hadrianopoli moverimus, pace confecta, et ipsum Eduardum etiam expediverimus, remorati sumus cancellariae hujus principis occupationibus. Quae quum infinitis prope nego-

tiis distinetur, ne nostrum quoque ita cito absolvi potuit, quemadmodum nos volebamus, et sane etiam urgebamus, solliciti interim ea quoque cura, ut simul omnia reciperet et certo cognosceret quaecunque egeramus.

Ut praeterea plane sciat, esse jam nos quoque in itinere nostri reditus, quod, Deo comite, hodie ingressi sumus, ita omnia etiam maturavimus, ut hoc ipso tempore Eduardum quoque dimitteremus, et quam celerrime fieri posset, exspectatum majestati vestrae afferret nuncium, eandem edocentes, venire nobiscum etiam Ibraimum, supremum Turcae interpretem, missum ab eodem cum suis ratificatoriis; relaturusque eas, quas vicissim majestas vestra dabit. Nec plura per has litteras, quam quod post Eduardum nos etiam omnem diligentiam adhibebimus, ut maturemus nostrum reditum, ibique praesto simus, ubi sacram majestatem vestram caesaream esse cognoscemus. Quam Deus Optimus Maximus felicem atque incolumem quam diutissime servet. Hadrianopoli XX. Martii 1568.

LX.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad majestatem caesaream.

Nos beneficio Dei, heri hora secunda a meridie huc appulimus, hodie apud passam fuimus, perendie Strigonium promovebinus, inde post Comaronium, et tandem per vadum Zent Maria Viennam nos conferemus. Interim autem caesarea majestas vestra dignabitur nos informare, quomodo oratorem principis Turcarum deducemus, ordinemque jubebit poni, quo honorifice excipiatur. Quia nos et Constantinopoli et hic satis convenienter pro dignitate caesareae majestatis vestrae, et equitatu et peditatu aulico et militari excepti sumus. Orator autem est cum bono apparatu, habet equos, mulos, camelos, et homines circiter 35. et curandum erit illi tale hospitium, quo capi commode poterit. Deus Optimus Maximus sacram caesaream majestatem vestram diu felicem et incolumem servet. Budae 29. Aprilis 1568. 1568 apr 29.

LXI.

A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach.

Ad caesaream majestatem.

1568. máj. 3. Hodie nos cum oratore principis Turcarum Comaronium pervenimus, et hic interim commorabimur, donec de ulteriori progressu nostro a caesarea majestate vestra clementer informabimur, juxta humilem petitionem etiam aliarum litterarum nostrarum, quas adhuc Buda dedimus. Habenda autem erit cura etiam de sumptibus ejusdem oratoris per iter, sic ut dignitati majestatis vestrae caesareae omni ex parte inserviatur. Essetque omnino operae pretium, si hoc tempore magnificus dominus capitaneus reperiretur, quia omnia commodius haberentur. Deus Optimus Maximus caesaream majestatem vestram servet diu incolumem et felicem. Comaronii 3. Maji 1568.

LXII.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak a császár.

Reverendo devoto, ac nobili, fidelibus, nobis di- 1568. máj. 4.
lectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, nostris consiliariis et oratoribus. Comaronii. Ubicunque fuerint. Cito, citius, citissime etc.

Teuffenpach kezével: Praesentatae 5. Maji, Comaronii.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, ac Hungariae et Bohemiae etc. rex.

Reverende devote, ac nobilis, fideles nobis dilecti. Accepimus litteras vestras Budae vigesima nona die proxime elapsi mensis Aprilis datas, libenterque intelleximus, vos salvos eo pervenisse, atque jam confidimus, vos iter vestrum eo, quo instituistis modo, Deo propitio, ac sine impedimento et obstaculo aliquo prosequutos esse. Itaque in dies adventum vestrum exspectabimus. Gratum quoque nobis est, oratorem principis Turcarum vobiscum esse, quem volumus, ut Vischamindam usque deducatis, eique persuadeatis, ne gravetur ibi unum atque alterum diem subsistere, donec illum accersamus; vos vero ex eo loco, relictis apud illum aliquot ex vestro comitatu, qui illius et familiae ipsius, ne quid illis a quoquam exhibeatur

molestiae, curam gerant, extemplo huc ad nos advoletis, quo possimus vobiscum deliberare, quomodo pro dignitate condecenter excipiendus et in urbem hanc nostram introducendus sit, facturi in eo benignam voluntatem nostram. Datum in civitate nostra Vienna die quarta Maji anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo; regnorum nostrorum, Romani sexto, Hungarici quinto, Bohemiae vero vicesimo. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

LXIII.

Verancsicsnak és Teuffenpachnak a császár.

1568. máj. 5. Reverendo devoto, ac nobili, fidelibus nobis dilectis, Antonio episcopo Agriensi, ac Christophoro a Teuffenpach in Mairhofen, nostris consiliariis et oratoribus. Comaronium, vel ubi fuerint. Cito, cito, citissime etc.

Teuffenpach kezével: Accepimus Comaronii 6. Maji.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, ac nobilis, fideles nobis dilecti. Litteras vestras Comaronii tertia praesentis datas accepimus, et illico mandavimus provideri, sicuti fideliter consuluistis, de sumptibus oratoris Turcici, ne quid in hac parte, quod ad dignitatem et existimationem nostram pertinere videbitur, negligatur; quin etiam scripsimus supremo capitaneo nostro Comaroniensi, qui hic est in propinquo, ut e vestigio

isthuc se conferat, ne propter absentiam ejus quidpiam deficiat, quantumvis nesciamus, an in tempore adesse poterit.

Quod ad deductionem oratoris Turcici attinet, inhaeremus iis, quae heri per specialem veredarium ad vos scripsimus, quarum litterarum accipietis cum his exemplum, quo rectius vos benignae voluntati nostrae accommodetis; nec opus erit, quod supra modum festinetis, sed itinera juxta commoditatem oratoris Turcici instituatis.

Id quod vobis super memoratis litteris vestris clementer respondendum et significandum duximus. Datum in civitate nostra Vienna die quinta Aprilis*) anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, regnorum nostrorum, Romani VI. Hungarici V. Bohemici vero XX. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p.

LXIV.

A császárnak Verancsics és Teuffenpach.

Ad caesaream majestatem.

Die sexta currentis, qua movimus Comaronio, in ipso discessus nostri momento ad rhedas nostras accepimus a sacra caesarea majestate vestra responsum, atque hodie hic in Prellenkirchen moram habituri, crastinum exigemus Vischeminii. Ubi pro man- 1568. máj. 8.

*) Tollhiba „Maji“ helyett.

dato vestrae caesareae majestatis relicto magnifico domino capitaneo Kilmano et provisore Comaróniensi cum oratore Turcae, nos die sequenti ad majestatem vestram festinabimus. Hoc pro humili informatione nostri progressus. Et Deus Optimus Maximus sacram caesaream majestatem vestram diu feliciter et incolumem servet. Ex oppido Prellenkirchen 8. Maji 1568.

ELSŐ TOLDALÉK.

Az 156⅞ követséghez vegyesek.

I.

Az 1562. s 1564-diki békekötések.

Instrumentum ratificationis pacis cum imperatore Turcarum initae. *)

Maximilianus Secundus, etc.

Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium universis. Quod cum proximis annis pro quiete et tranquillitate publica totius orbis, et praesertim pro afflicti regni nostri Hungariae, continuis bellorum calamitatibus ferme penitus exhausti, oppressi et desolati beneficio, et ut jam tandem ab effundendo humano sanguine cessaretur, inter serenissimum et potentissimum quondam principem dominum Ferdinandum electum Romanorum imperatorem, augustae memoriae, dominum et genitorem nostrum observandissimum ex una, et serenissimum quoque ac potentissimum principem dominum sulthanum Solymanum imperatorem Turcarum ac Asiae et Graeciae etc. ex altera, post multos, difficiles atque diuturnos tractatus hinc inde medio oratoris, a praelibato divo genitore nostro destinati, et pleno ac sufficienti ad id mandato instructi, agitatos, ad octo annorum spatium, a die prima Junii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo proxime et immediate

*) Verancsics kezével a másolat elébe vetve. Ő t. i. ennek formájára fogalmazta az 1568-diki békepontokat.

sequentium numerandorum, redintegrata, conclusa, et litteris confirmatoriis, ultro citroque exhibitis, firmata et constabilita fuerit, juxta certas quasdam conditiones in litteris confirmatoriis dicti serenissimi quondam, et observandissimi domini patris nostri descriptas et comprehensas, quarum litterarum tenor sequitur, et est talis:

Nos Ferdinandus etc. Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium universis: Quod cum superioribus annis post multos et diuturnos tractatus inter nos et serenissimum ac potentissimum principem, et dominum sulthanum Solymanum imperatorem Turcarum ac Asiae et Graeciae etc., interveniente pro nobis nobile, fidele, nobis dilecto Augerio a Busbeck, consiliario et oratore nostro, ad id pleno et sufficienti mandato instructo, inita et conclusa fuisset firma pax et amicitia, ad octo annos duratura; et nos hujusmodi pacis et amicitiae conclusionem pro nostra parte ratam, gratamque habuissemus, et litteris nostris in patenti et opportuna forma expeditis confirmassemus sub certis quibusdam conditionibus, quas idem orator noster descriptas, et sigillo suo munitas, adhibita protestatione, consiliariis et passis praefati serenissimi Turcarum imperatoris tunc exhibuerit, prout in dictis litteris nostris confirmatoriis latius apparet, quae datae sunt in nostra imperiali civitate Augusta Vindelicorum die vigesima nona mensis Aprilis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono. Exhibitis vero per dictum oratorem nostrum iisdem litteris nostris confirmatoriis, diversae difficultates intercidissent, ita, quod nec litterae confirmatoriae, nostris per omnia similes et congruentes in hanc usque diem a dicto serenissimo Turcarum

imperatore nobis allatae fuerint, adoque ejuscemodi pax octennalis realem suum effectum hactenus sortiri nequiverit; et tandem, cum ob talem pacis, seu inducіarum incertitudinem in finibus regni nostri Hungariae ac partium ei subjectarum, et praecipue in confiniis Croatiae multa contra inducias evenissent; quin insuper etiam ex alia parte inter nos et illustrissimum Joannem Sigismundum ducem, serenissimi quondam regis Joannis filium gravissimae turbae ac motus bellici exorti essent, rursus de redintegranda et stabilienda memorata octennali pace inter saepefatum oratorem nostrum, dictosque serenissimi Turcarum imperatoris passas et consiliarios agi ceptum esset, atque idem orator noster sub spe nostrae ratificationis iterum proposuisset quasdam conditiones, sub quibus optata pax, sublatis difficultatibus, demum coalesceret atque in effectum deduceretur; quin etiam serenissimo Turcarum imperatori visum esset, mentem ac voluntatem nostram de istiusmodi pacis redintegratione et conglutinatione cognoscere, misso ad nos hanc ob causam egregio viro Chassan chiaussio cum serenitatis suae litteris. Nos sane cupientes, quantum in nobis est, consultum esse quieti et tranquillitati publicae totius orbis, et praesertim afflicti regni nostri Hungariae, continuis maximisque bellis funditus pene exhausti et desolati, atque jam tandem pacem antehac, ut praefertur, conclusam, sed nondum ad effectum deductam, debitum summ vigorem obtinere: dictos tractatus per oratorem nostrum cum dictis passis nomine et loco serenissimi Turcarum imperatoris agitatos, ratos gratosque habuimus, litterisque his nostris corroboravimus et confirmavimus, et in eadem pace ipsum quoque filium quondam regis Jo-

annis cum Transsylvania comprehendi consensimus, prout per praesentes ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, et omni meliori modo et forma, quibus possumus ac debemus, ratificamus, approbamus, corroboramus et confirmamus, declarantes et pollicentes, nos non solum cum praefato serenissimo Turcarum imperatore, verum etiam cum dicto quondam regis Joannis filio fovere et servare bonam ac sinceram amicitiam et pacem ad octo annos proxime sequentes, et a die, qua datae sunt praesentes litterae, numerandos, quatenus nobis serenitas ejus, dictusque quondam regis Joannis filius mutua sinceritate et integritate correspondebunt, ita, ut quilibet nostrum aequaliter ad hujus pacis observationem adstrictus et obligatus sit juxta has infrascriptas conditiones.

Primo igitur, universis et singulis nostris capitaneis, praefectis, officialibus, ministris, militibus ac subditis serio et sub poena capitis mandabimus, ut hanc pacem sancte, firmiter et inviolate observent, et ne militibus aut subditis serenissimi imperatoris Turcarum, ac praefati filii quondam regis Joannis arma, vim et ullam hostilitatem inferant, nec eosdem ad arma lacessant, sed cum illis pacem et bonam vicinitatem foveant.

Quodsi quis capitaneus, miles, aut subditus noster locum aliquem serenissimi imperatoris Turcarum occupaverit, ceperit, expugnaverit, aut attentaverit, statim illum pro demerito capite puniri, ac locum illum sine dilatione restitui faciemus.

Item, si post publicationem istius pacis et amicitiae contigerit a militibus, aut subditis nostris aliquos subditos serenissimi imperatoris Turcarum capi, ii quoque ubicunque fuerint, liberi esse, et sine impe-

dimento, aut alicujus pretii pactatione vel solutione demum dimitti debebunt, modo idem quoque ex parte Turcarum fiat.

Et quoniam in tractatibus illis pacis quinquennalis, quam cum praefato serenissimo Turcarum imperatore anno Domini millesimo, quingentesimo, quadragesimo septimo, inivimus ac firmavimus, conclusum, pactum et conventum fuerat, ut annuatim mitteremus ad portam serenissimi Turcarum imperatoris munus honorarium triginta millium ducatorum, nos sane juxta dictam pactionem et conventionem quinquennalis illius pacis, ut afflicto Hungariae regno, miserorumque colonorum et subditorum quieti et incolumitati consultum sit, in posterum quoque singulis annis, durante ista octennali pace, ad portam serenitatis ejus triginta illa ducatorum hungaricalium millia transmittemus.

Deinde, licet nullo jure obligati simus ad solvendum munera, quae a nobis in tractatibus, antehac habitis, ex parte serenissimi Turcarum imperatoris pro duobus ultimis annis praememoratae pacis quinquennalis, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo conclusae et initae petita fuerunt: volentes tamen ipsi serenissimo imperatori Turcarum sincerae amicitiae et benevolentiae studium nostrum hac quoque in parte testatum reddere, ex duorum illorum annorum intermissis muneribus serenitati illius unum, scilicet triginta millia ducatorum transmittemus.

Similiter, ab arcibus quoque et castellis, urbibus ac locis Transsylvaniae omnem vim atque hostilitatem abstinebimus. De locis vero extra Transsylvaniam positis, quorum longe alia est ratio,

quam Transsylvaniae, respectu dicti serenissimi Turcarum imperatoris, ac praesentis concordiae et pacis causa non recusamus cum illustrissimo Joanne Sigismundo duce, serenissimi quondam regis Joannis filio, concordare, quae loca nobis restitui, et quae ipsi pacifice relinquere velimus, ita tamen, ut dictum quondam regis Joannis filium, durante hac octennali pace, ad satisfaciendum nobis de locis extra Transsylvaniae fines in Hungariae partibus citra et ultra Tibiscum sitis, armata manu non compellere possimus aut debeamus, salvo tamen et reservato nobis nihilominus omni jure et actione, quam contra illum praetendimus.

At viceversa idem quondam serenissimi regis Joannis filius tempore hujus pacis, sive induciarum ab omni hostilitate et injuria abstineat, ac subditos nostros non affligat, villas non diripiat, nec excursiones in ditionem nostram faciat, neque castella nostra vel subditorum nostrorum oppugnet, vel ipse nova castella in detrimentum ditionis nostrae, vel subditorum nostrorum exstruat, neque etiam bona mobilia vel immobilia, contributiones, dicas, decimas et proventus ad nos et subditos nostros spectantes, invadat aut sibi vendicet, quin immo inducias sancte et inviolate observet et per suos observari faciat, quemadmodum etiam nos, ut idem nostra ex parte sancte observetur et praestetur, diligenter curaturi sumus. Quod si secus fecerit et inducias violaverit, ac nos, aut subditos nostros injuria affecerit, nos idipsum impune ferre non patiemur.

Item, ut quaecunque nos extra propriam Transsylvaniam possidemus, sive per nos ipsos, sive per nostros subditos et vasallos, in posterum quoque sine

Melchior Balassa et Nicolaus de Bathor, caeterique barones, nobiles et cujuscunque status homines, qui ad fidelitatem et obedientiam nostram reversi fuerunt et revertentur, usque ad illam diem, qua nobis constiterit, supradictum quondam regis Joannis filium inducias ad mandatum serenissimi imperatoris Turcarum sub his conditionibus acceptasse et observare velle, cum omnibus eorum rebus, juribus ac bonis, quaecunque possident et tenent.

Praeterea tam nostri, quam praedicti filii quondam regis Joannis subditi, in utriusque nostrum obedientia et potestate constituti, qui in praesentibus turbis et motibus, vel ob metum vel aliam quamcunque causam vacillassent, sive suspectos se reddidissent, seu alterutrum quovis modo offendissent, hisce induciis comprehensi, earum ita participes reddantur, ut nulla in eos quovis quaesito colore vindicta institui, sed omnis in illos concepta indignatio et persecutio utrinque cessare debeat.

Et quia, ut dictum est, in honorem et gratiam serenitatis suae consensimus, sub his induciis filium quondam regis Joannis ad satisfaciendum nobis, ratione locorum extra Transsylvaniam sitorum, armis non compellere: confidimus, uti par est, serenissimum Turcarum imperatorem, habita ratione, quod nos ita faciles et benignos erga dictum quondam regis Joannis filium exhibeamus, nobis aliquos captivos haud gravatim concessurum esse.

Caeterum, quod attinet ad ipsummet serenissimum Turcarum imperatorem, mens et voluntas nostra est, prout et ipsa ratio et aequitas postulat, ut ejus quoque serenitas litteris suis confirmatoriis ad has sequentes conditiones adstringatur.

Imprimis: ut serenitas sua bonam et sinceram pacem atque amicitiam nobiscum ad supradictos octo annos, a die datarum praesentium litterarum incipientes colat et servet.

Item: ut omnibus ac singulis suis passis, beglerbeghis, sanziackis, vajvodis et quibuslibet capitaneis, officialibus, ministris, militibus et subditis mandet sub poena capitis, ut hanc pacem firmiter et sancte observent, et ne militibus, seu subditis nostris arma, vim vel ullam hostilitatem inferant, nec eosdem ad arma lacessant, sed cum illis pacem et bonam vicinitatem servent, inter quos serenitatis suae militares praefectos etiam Transalpinus et Moldavus vajvodae comprehensi intelligantur.

Item: ut pax ista pro Hungaria, Croatia, Dalmatia, Sclavonia, et pro reliquis universis nostris regnis, dominiis et provinciis, eorundemque finibus, limitibus, et locis quibuslibet tam terrestribus, quam maritimis et aquaticis confecta et confirmata intelligatur, habeantque haec ita universaliter comprehensa eandem vim, ac si singula essent expressa.

Quodsi vero tempore hujus pacis a serenissimi imperatoris Turcarum praefectis, militibus aut subditis arx, oppidum, urbs, castellum, fortalitium, seu qualiscunque locus noster ullo praetextu occupatus, captus, expugnatus, aut attentatus fuerit, quicunque id fecerit, statim capite plectatur, et talis locus sine dilatione restituatur.

Idque intelligatur, sive locus immediate noster fuerit, sive subditi nostri; nec referat, utrum talis subditus rebellis fuerit, sive non, quia si rebellis fuerit, talis locus nobis restitui debebit, idque in reliquis rebellium rebus ac bonis similiter locum habeat.

Simili modo quaecunque in his litteris comprehenduntur, de nulla injuria aut damno inferendo, ea semper tam ad res et jura subditorum cujuscunque illi gradus sint aut conditionis, quam de rebus, immediate ad nos pertinentibus intelligantur.

Item: ut liberum sit pro arbitrio et libito aedificare, reparare, munire et fortificare quaevis loca, quae directe in aedificantis potestate et ditione existere dignoscentur, ita quod in hoc turbari vel impediri non possint aut debeant.

In solo vero, in aliena ditione aut dominio sito, aedificare, reparare, munire aut fortificare aliquem locum posthac durante pace non sit licitum.

Et quoniam non restituitur Tata contra omnem aequitatem intercepta, saltem villae et possessiones ultra Danubium sitae, non inquietentur, sed Comaronio, sicuti fuerunt a principio, subjectae maneant. Quia Tata non fuit tale castrum, quod propriam jurisdictionem haberet, sed Comaronio submissum, adeoque praefectus illius tantummodo castellani officium gerebat, ibi collocatus, ut hujusmodi villas, ad Comaronium pertinentes, quae per Comaroniense praesidium non satis commode tempore bellorum regi poterant, per ipsum eo minori negotio in officio continerentur; hujusmodi ergo villae omnes praefecto Comaroniensi deinceps pareant, neque ab illis, qui erunt in Tata, aut aliis quibuscunque Turcicis militibus inquietentur.

Item: sub hac pace nullo modo nostra jura in Hungaria impediri, neque nostris colonis ac subditis quocunque praetextu vel colore quaesito, exactiones aut onera ulla imponi debeant, ita quod omnia illa loca, quae in praesentiarum in nostra ditione et potestate sita sunt, cum universis suis pertinentiis,

castris et oppidis, redditibus ac quibuscunque bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, in eadem nostra potestate sint ac maneant, nec in illis ullum jus exactionis, vel alterius oneris, subditi, vel milites, vel officiales Turcici quaerant seu praetendant, multo vero minus villas nostras subinde occupent, aut missis litteris, comminatione incendii, depraedationis, seu captivitatis subditos nostros ad deditionem sollicitent. Et quicunque coloni hactenus ad utramque partem servitia, census, vel decimas praestiterunt, ubicunque illi siti sunt, in posterum quoque nobis, vel subditis nostris servitia vel census praestent.

Et quoniam Turcae, quando primum occupaverunt deditias villas, contenti fuerunt solitis et ordinariis colonorum proventibus, progressu vero temporis majores in dies exactiones illis imposuerut in tantum, ut nunc decuplo plus exigant ab aliquibus, adeo quod pauperes non habentes unde amplius solvant, tandem metu captivitatis, relictis sedibus, aufugiant, et postea neque nobis, neque serenissimo Turcarum imperatori, ejusque subditis ullam amplius utilitatem praestent; mandet proinde serenitas ejus, ne praefati milites et spahiae sui colonos ipsos ultra eorum ordinarios proventus, quos dominis eorum solvere consueverunt, et quibus Turcae initio contenti fuerunt, compellant, sed dimidia parte ejusmodi ordinarii proventus contententur, reliquam vero colonorum dominis relinquant, ut hoc modo pauperes, miserique coloni nimiis et intolerabilibus extraordinariis exactionibus liberati, non aufugiant, sed maneant et utrinque parti diutius utiles sint.

Praeterea deinceps a publicata pace ista nulli subditi nostri, sive sint Hungari, sive alterius cujuscunque nationis, captiventur: quodsi tamen factum erit, ii ubicunque detinebuntur, mox libertati restituantur, et tuto atque pacifice sine ulla pactatione, seu pretii redemtorii exactione domum redire permittantur, neque tales captivi ullo modo, colore, vel ingenio quaesito, detineantur, mancipentur, vendantur sive donentur.

Porro, si nobis in futurum etiam videbitur aliquis homo in excelsa porta saepedicti serenissimi Turcarum imperatoris intertenendus, sive oratoris, sive agentis, sive procuratoris, sive quocunque titulo: is oratoris libertate etiam ac privilegiis, immunitatibusque frui debebit, quemadmodum aliorum principum, qui serenitati illius amici sunt, procuratores frui solent aut debent, habeatque liberam potestatem conducendi dragomanum sive interpretem quos et quotcunque velit.

Similiter non impediantur etiam homines aut nuncii nostri, qui interdum ad amplissimam illam portam, vel ad hominem nostrum, qui ibi residebit, aut etiam ab eo ad nos mittentur, quin potius eisdem omnis favor et auxilium praestetur.

Quas quidem conditiones et articulos pro firmiore pacis robore serenissimus Turcarum imperator, perinde ac nos, sese firmiter, inviolateque observaturum sub fide et verbo suo promittat, necessariisque et opportunis litteris statim confirmet.

Cum vero ad pacis firmitatem plurimum pertineat, omnem dissidiorum et motuum causam in confiniis tolli, et ad hoc valde expediat certos limites statui, utrique parti tolerabiles, quos alterius partis

militibus hostiliter transgredi non liceat, optimum erit id negotii commissariis, ex utraque parte pari numero deligendis, viris probis, pacificis et rerum gerendarum peritis, qui quidem pari authoritate praediti, justitiae et utriusque partis habita ratione, tales limites statuant.

Similiter, si magnae aliquae et arduae differentiae orirentur, quae prorsus celerem compositionem requirerent, ad tales commissarios constituendos refugiendum erit, qui loco opportuno convenientes sine exercitu, atque aequali personarum numero et comitiva omnes et singulas hujusmodi controversias emergentes decidant, et amicabiliter componant, et talis denique ordo ac modus constituatur, ut utraque pars suos homines et subditos citra omnem tergiversationem, vel praetextum, gravissimis poenis ad integre, firmiter et inconcusse observandam pacem compellat.

Quoniam vero in tam amplo regno, tam diuturnis bellis afflicto, fieri non potest, quin multi latrones et malefici homines passim divagentur: propter talium hominum subitos et improvisos incursus pax violata non debet intelligi, neque si vel subditi, vel milites alterius partis contra pacem aliquid attentarint, vel alias aliqua controversia aut differentia ex utraque vel altera parte emergat, ut interdum accidere solet, neque omnia semper praecaveri possunt, ideo pax violata intelligatur. Sed utraque pars sedulo operam dare debebit, ut tales praedones et damnificatores et pacis perturbatores debitis poenis afficiantur; in gravioribus vero casibus (ut dictum est supra) ad commissarios confugere expedit.

Licitum sit etiam Turcis, si tales praedones aut raptores in sua ditione deprehenderint, illos supplicio

afficere, si vero illos deprehendere non potuerint, capitaneis aut officialibus nostris, sicubi eos esse compererint, indicent, qui eos punire a nobis mandatum habebunt; si vero ab illis non punientur, nos ea de re informati, probe pro demerito puniendos curabimus, modo idem ex altera quoque parte fiat.

Sed et duella, quoniam multorum motuum ac dissidiorum causam saepe subministrare solent, optimum erit tempore hujus pacis inhibere, quin immo ii, qui alios ad hujusmodi singularia certamina provocare ausi fuerint, ad alterius partis instantiam et requisitionem puniantur.

Quae quidem omnia, si serenissimus Turcarum imperator rata, grataque habuerit, ac litteris suis corroboraverit et confirmaverit, pollicemur in verbo nostro caesareo, nos quoque candide et firmiter observaturos et adimpleturos esse, pecuniasque supradictas ad portam ejusdem serenissimi Turcarum imperatoris missuros, et quaecunque nobis vigore conditionum et pactorum suprascriptorum incumbunt, executuros esse, nec eis ullo quaesito colore per directum vel indirectum contraventuros, indubitatam spem et fiduciam in serenitate ejus ponentes, omnia vicissim bona et integra fide agi, nec ministros et subditos, militesque serenitatis suae iis, quae juxta praemissa tractata et conclusa fuerint, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, contraventuros, quemadmodum et nos, omni dolo et machinatione remotis, jubebimus et mandabimus ministris nostris, ut pax et quies a nostra parte integre observetur, ut dignum est fide et magnanimitate nostra, harum testimonio litterarum manu nostra propria subscriptarum, ac sigilli nostri appensione munita-

rum. Datum in arce nostra regia Pragae, die prima Junii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, regnorum nostrorum, Romani trigesimo secundo, aliorum vero tricesimo sexto.

Defuncto vero divo genitore nostro praefatus serenissimus Turcarum imperator per litteras a nobis petierat intelligere: utrum et nos pacem et amicitiam paternam cum serenitate ejus servare vellemus. Nos sane intellecta et considerata ejusmodi propensa et sincera voluntate, quam serenitas ejus erga nos praeseferre videtur, cupientes etiam beneficio et quieti publicae et praesertim commodis oppressi regni nostri Hungariae consultum esse, vestigiis divi domini parentis nostri in servanda et continuanda hujusmodi pace et amicitia insistendum duximus. Itaque non solum nostro, verum etiam serenissimorum principum, Ferdinandi et Caroli, archiducum Austriae etc. fratrum nostrorum charissimorum nomine praeinsertas serenissimi et potentissimi quondam domini genitoris nostri litteras ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, et omni meliori modo et forma, quibus potuimus atque debuimus, approbavimus, ratificavimus et corroboravimus, prout vigore praesentium approbamus, ratificamus et corroboramus, declarantes, et in verbo nostro caesareo pollicentes pro nobis et jam nominatis serenissimis ac charissimis fratribus nostris, quod ceptam inter saepedictos divum genitorem nostrum et serenissimum Turcarum imperatorem pacem et concordiam usque ad finem constituti octennii candide ac sincere observabimus, munusque honorarium posthac etiam quolibet anno, Deo dante, mittemus, omniaque et singula, quae nobis praestanda incumbunt, exequemur et adimplebimus,

nec eis ullo quaesito colore per directum vel indirectum contraveniemus, ac demum omni dolo et machinatione remota, curabimus et jubebimus, ut etiam a praefectis, ministris, officiariis, militibus et subditis nostris pax et quies integre observetur, sicuti dignum est fide et magnanimitate nostra, dummodo similiter serenissimus quoque Turcarum imperator haec omnia rata, grataque habuerit, observaverit, adimpleverit, quemadmodum non diffidimus, ex parte serenitatis suae perinde bona et integra fide omnia agi, nec serenitatis suae ministros, subditos et milites iis, quae juxta praemissa tractata et conclusa fuerunt, directe vel indirecte, quovis praetextu quaesito, contraventuros esse. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. — Datum Viennae die vigesima septima mensis Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto.

II.

1565-diki szatmári pontok.

Articuli pacis conclusi inter supremos commissarios et capitaneos caesareae majestatis ac oratores Transsylvani. Zathmarii in mense Martio. 1565.

Primum: quod illustrissimus dux Transsylvaniae, et legitimi illius posteri ac descendentes ex eodem sexus masculi, Transsylvaniam, sicuti intra limites suos constituta est, retineat sub certis quibusdam conditionibus, de quibus postmodum oratores seu nuncii ad caesaream majestatem profecturi, cum majestate sua latius tractabunt et concludent. Reliquam vero ditionem, in Hungaria existentem, caesareae ac regiae majestati, et ejus haeredibus ac successoribus, legitimis Hungariae regibus, pro se et suis haeredibus libere cedat ac remittat, excepto comitatu praefato Byhoriensi cum castro Waradiense, suisque pertinentiis, quae ex speciali suae majestatis concessione et gratia ad dies vitae illustrissimus dux possidere et frui debet, ea tamen conditione, ut post mortem illius ea omnia reliquo corpori Hungariae regni statim de facto uniantur, et suae majestati caesareae vel suis successoribus, regibus Hungariae restituantur.

Deinde, quod posthac, deposito titulo electi regis, vocentur duces Transsylvaniae.

Quod sua caesarea majestas libere retineat jure

belli castrum Tockay et arcem Zerench, ac alia loca ab exercitu suae caesareae majestatis occupata, cum universo territorio atque districtu ad ea spectante, nisi specialem gratiam aliquibus, quorum interest, ad intercessionem illustrissimi ducis Transsylvaniae facere sua majestas sponte velit.

Quod specialiter dux Transsylvaniae libere cedere atque suae caesareae majestati resignare teneatur castra Mwnkatch et Huzt cum omnibus et singulis eorum pertinentiis ac juribus, ubicunque locorum existentibus, quemadmodum nunc ab ipso Transsylvano duce vel saltem nomine et loco ipsius possidentur, et quod interim etiam horum castrorum oppugnatio omittatur.

Quod omnes captivi, qui adhuc detinentur, libere et sine impedimento dimittantur.

Praeterea subditis utriusque partis nihil impedimenti inferri debebit, quo minus deinceps quoque bona, proventus et redditus, quos vel Hungari in Transsylvania, vel Transsylvani in Hungaria habent, libere et pacifice tenere, percipere et eis uti, frui, gaudere atque potiri queant.

III.

Maximiliánnak Muztaffa budai pasa.

1567. Jul. 28. Serenissimo ac inclitissimo domino Maximiliano Secundo, favente Dei gratia Romanorum imperatori semper augusto, domino nobis gratiosissimo.

Serenissime et invictissime imperator semper auguste, domine nobis gratiosissime, salutem ac nostri debitam commendationem. Misimus nunc ad tuam celsitudinem praecipuum nostrum consiliarium et curiae nostrae fidelem provisorem Kwrth agam cum munere, quo potuimus quam honestissimo, quod tamen pro temporis angustia nunc celeriter apparare potuimus, quo nimirum nostram erga celsitudinem tuam debitam fidelitatem et favorem certo ac re ipsa commonstrare declarareque voluimus, precamurque tuam celsitudinem, hoc muneris, pro sua erga nos singulari ac jam multis modis comprobata munificentia et clementia, aequi bonique velit consulere, ac omnibus huic nostro legato Kwrth agae, quaeque nostro nomine retulerit, clementem audientiam velit praestare ac fidem adhibere; simul autem id quoque precamur, ne eam tua celsitudo isthic diutius detinere velit, sed ut primum salvum et incolumem, cum clemente et nobis optata relatione remittat. Nos interim nos totos tuae celsitudini in omnibus fideliter offerimus. Tuam celsitudinem feliciter valere quam diutissime exoptamus. Datae Budae 28. Julii 1567. Tuae celsitudini deditissimus Muztaffa bassa,

potentissimi caesaris Turcarum Budae et in tota Hungaria locumtenens.

IV.

A budai pasának Maximilián.

Spectabilis ac magnifice, sincere nobis dilecte. Reddidit nobis consiliarius et nuncius vester Kwrth aga litteras vestras una cum muneribus, quae nobis per eundem misistis, fideliterque et diligenter exposuit, quidquid vobis visum est nobis per eundem officiose nunciare. Ea vero omnia cum viderentur ex animo erga nos sincero, atque ad pacem et tranquillitatem publicam servandam et tuendam admodum inclinato fuisse profecta, nos itidem grata et perbenigna mente illa omnia accepimus et quandoque mutua nostra caesarea munificentia affatim compensare studebimus. 1567. aug. 30.

Quod vero ad nunciata illa vestra attinet de removenda natione Hungarica a confiniis, ac praesidiis eorum per Germanos firmandis, dubitare non debetis, sive Germanicis sive Hungaricis praesidiis loca nostra finitima fuerint firmata: nos pro eo studio, quo tenemur, stabiliendi et conservandi cum serenissimo imperatore vestro amicitiam et bonam vicinitatem, sedulo curaturos esse, ut induciae nostra ex parte candide et inviolate observentur, et qui ex nobis comprehensus fuerit secus facere, is debitas inobedientiae suae poenas non effugiet. Inprimis autem mandabimus etiam capitaneo nostro Agriensi Simoni Forgach, ut milites illos nostros, sub ductu ejus existentes cohibeat, ne quid contra inducias moliantur,

et ipse quoque, si non paruerit, nequaquam impune feret, dummodo ex vestra parte in observandis induciis et puniendis inobedientibus eadem cura atque integritas appareat. Hactenus enim tam contra praefectos et begos, quam milites vestros allatae sunt et adhuc afferuntur quotidie gravissimae querelae, sicuti partim ex scripto, quod vobis mittitur, percipietis.

Praeterea, aliud etiam est, de quo in praesentibus litteris vos admonendos duximus, videlicet: ex quo hinc inde convenit, inter nos et serenissimum imperatorem vestrum, ut, donec oratores nostri in tractatu pacis versabuntur, in confiniis non solum arma utrinque deponantur et induciae observentur, sed res omnino in eo statu relinquatur, quo tum erat, nec quidquam innovetur, quod propterea non consentaneum sit sive ejusmodi mutuae conventioni et conclusioni, sive etiam omni rationi et aequitati: ex parte vestra passim in confiniis nova castella aedificari, prouti nobis refertur jam exstrui in Bathyan, Zeriss*) et alibi, et nonnulla quoque desolata restaurari, praesertim vero Zabadkam, quod castellum superiore aestate, ne in posterum ibi, ut antea, receptus esset praedonibus, indesinenter subditos nostros inde infestantibus, milites nostri combusserunt et solo aequarunt.

Et propterea gratiose postulamus, ut vos ad istam nostram et serenissimi imperatoris vestri conclusionem ipsi quoque conformetis, neque vel talibus novis castellis erigendis, vel alio quovis modo in finibus quibuscunque innovetis, sed omnia in statu, quo erant tempore initarum hinc inde induciarum, relin-

*) Segesd et érti.

quatis, siquidem haec et alia ad tractationem in porta serenissimi imperatoris vestri instituendam spectant. De iis quoque rebus vos celare non possumus, quae in finibus Transsylvaniae geruntur. Nimirum, quod praefecti Joannis Sigismundi ducis non cessant nostros milites lacessere, nostramque ditionem, utputa, Banyam et dominium Chech ac Erdewt, et eorum locorum pertinentias sibi vendicare et usurpare, aperte profitentes, id se a domino suo in mandatis habere, quod cum praefecti et milites nostri ferre non possint neque debeant, ut qui a nobis habent in mandatis, supradicta nostra dominia et loca tueri et conservare, aliena tamen non attingere: necesse est, quotidie ea de causa oriri discordias, rixas et pugnas, sicuti nuper accidit propter quasdam decimas, ex loco quodam ad nostram ditionem pertinente ablatas, quod ad manus ventum sit, et praefecti, militesque Transsylvani, ut nobis relatum est, meritas temeritatis suae poenas dederint.

Quocirca operae pretium fuerit, vos hac quoque in parte providere, et Joannem Sigismundum ducem monere, ut audaciam suam compescat. Sed haec fiunt fortassis ab illo in eum finem, ut tractatibus pacis, qui inter nos et serenissimum imperatorem vestrum nunc agitantur, aliquid impedimenti injiciatur, quemadmodum etiam antea fieri consuevit. Id quod vobis ad memorata scripta et nunciata vestra per antedictum consiliarium vestrum Kwrth agam, quem, quod a vobis missus sit, libenter vidimus atque audivimus, et nunc legatione sua singulari fide et studio perfunctum, cum munusculo quodam vobis ex nostra parte exhibendo, in signum propensae nostrae in vos voluntatis, ad vos remittimus, benigne respondere

voluimus. Datum Viennae die penultima Augusti, 1567.

V.

Ugyanannak ugyanaz.

1567. sept. 1. Spectabilis ac magnifice etc. Scriptis et obsignatis jam aliis litteris nostris, allatae sunt ad nos adjectae etiam querelae et gravamina de variis Turcarum violentiis, quae et ipsa vobis communicanda duximus, etiam atque etiam postulando, ut ejusmodi injuriis modum ac finem imponi curetis, provideatisque, ne ex vestra parte novis turbis et motibus contra nostram et serenissimi imperatoris vestri mentem causa et materia praebeatur; velitisque annexas litteras nostras, una cum aliis ad oratores nostros Constantinopolim mittere, facturi in hoc quoque nobis rem gratam. Datum Viennae die 1. Septembris 1567.

MÁSODIK TOLDALÉK.

Oklevelek a Verancsicsok történetéhez.

Harmadik Közlemény.*)

*) Folytatása az I. és II. kötet toldalékának.

XXVI.

Reverendo devoto Antonio Verancio episcopo 1559. mart
ecclesiae Agriensis, comiti perpetuo Hewessiensi et administratori comitatus Borsodiensis, sacrae caesareae majestatis consiliario, fideli nobis dilecto.

Verancsics kezével: Receptae Agriae 21. Martii 1559.

Maximilianus, Dei gratia rex Bohemiae, archidux Austriae etc.

Reverende devote, fidelis dilecte. Cum his litteris nostris habet devotio tua supplicationem fidelium nobis dilectorum, Francisci Gemer et Demetrii Philippi centurionum peditum Agriensium, qui ut ex ea supplicatione apparet, summopere verentur, ne devotio tua vel numerum militum, quibus jam inde a multo tempore praefuerunt, diminuat, vel ipsis alium aliquem ordinem serviendi praescribat. Petentes humillime, ut cum nostra voluntate, et pormissione liceret ipsis posthac, ordine inter eos observato, servire. Ne igitur eos responso inconvenienti a nobis dimitteremus, petimus a devotione tua majorem in re informationem, quos scilicet pedites diminuere, vel quem serviendi ordinem centurionibus ipsis praescribere vellet. Centuriones vero interea in priori ordine relinquat. In quo benegratam voluntatem nostram executura est. Datae Posonii, die quinta mensis Martii, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesi-

mo nono, regni nostri Bohemiae undecimo. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini regis proprium Gebhartt Wellczer m. p. H. Fieringer m. p.

XXVII.

1559.mart 29. Reverendo devoto, fideli nobis dilecto, Antonio Verancio episcopo Agriensi, consiliario nostro.

Verancsics kezével: Receptae Sepusii 17. Aprilis 1559.

Ferdinandus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverende devote, fidelis nobis dilecte. Cum nobis occurrant ejusmodi negotia, in quibus ob tuam singularem erga nos fidem ac eximiam prudentiam, rerumque agendarum dexteritatem, opera et praesentia tua opus habemus, tuae propterea fidelitati clementer committimus, ut absoluta consultatione, quam serenissimus princeps dominus Maximilianus rex Bohemiae et filius noster charissimus, de rebus Turcicis tecum et cum aliis nonnullis potioribus consiliariis nostris Hungaris, ad octavam hujusce paschatis instituit, quamprimum te huc ad nos conferas, et sumas tecum omnem familiam tuam, quam semper tecum habere soles, quando Viennae vel alibi extra episcopatum tuum residere solitus es, qua nimirum continue tibi domi opus non est, causas enim adventus tui postmodum intelliges.

Exequeris autem in eo benegratam, adeoque etiam expressam et omnimodam voluntatem nostram, clementer admodum erga te recognoscendam. Datum

in nostra imperali civitate Augusta Vindelicorum die XXIX. mensis Martii, anno Domini MDLIX°, regnorum nostrorum Romani XXIX°, aliorum vero XXXIII°. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium M. Singkhmoser m. p. Vt. Seld.

XXVIII.

Ego Antonius Verancius, Dei et apostolicae se- 1561. oct. 14.
dis gratia episcopus ecclesiae Agriensis etc. notifico ac testatum facio per praesentes meas, quod quum ad me, a sacratissima caesarea et regia majestate Ferdinando, divina providentia Romanorum imperatore semper augusto electum, nominatum ac praesentatum ad episcopatum memoratum, videlicet Agriensem, sanctissimus dominus noster papa Pius felicis nominis IV. de plenitudine suae potestatis, juxta ritum sacrae matris ecclesiae romano-catholicae atque apostolicae bullam provisionis et consecrationis meae destinasset, egoque a reverendissimo domino Nicolao Olaho, archiepiscopo Strigoniensi, metropolitano meo etc. munus consecrationis Viennae Austriae in templo, divo Francisco dicato, die XXI. mensis Septembris, qui fuit beato Matthaeo apostolo et evangelistae festus ac sacer, anno instanti, videlicet MDLXI., solitis omnibus ceremoniis adhibitis, juxta usitatam et laudabilem ejusdem praefatae sacrae catholicae ac romanae ecclesiae consuetudinem accepissem, tunc tempore talis consecrationis deposui corporale juramentum, quod in ipsa bulla consecrationis expressum est in haec verba: Ego Antonius Verancius, electus Agri-

ensis promitto etc. Datum Viennae XIV. die mensis Octobris anno Domini MDLXI.

XXIX.

1561. oct. 10. Zachariae episcopi Pharensis, Pii IV. PP. nuncii legati ad aulam imperatoris et regis Hungariae, facultas legendi libros prohibitos et haereticos, ac recitandi cum aliis horas canonicas, episcopo Agriensi concessa. Datum Pragae VI. idus Octobris, anno 1561.

XXX.

1562. maj. 10. Copia juramenti Valentini Pelyni ad provisoratum Agriensem.

Ego Valentinus de Pelyn fateor et recognosco per praesens chirographum meum, quod quum reverendissimus dominus meus, dominus Antonius Verancius episcopus ecclesiae hujus Agriensis, comes perpetuus Hewesiensis, Borsodiensisque administrator etc. confisus de mea fide, humanitate, integritate, constantia, provisoratum, hoc est: administrationem omnium et singulorum proventuum totius praefati hujus episcopatus sui Agriensis, ejusque colonorum ac bonorum universorum, quovis nomine vocatorum, et custodiam conservationemque ejusdem arcis hujus suae Agriensis, quae mihi et duobus collegis meis, qui castellani et capitanei sunt eruntque pro tempore, incumbet, nec non omnium etiam eorum, quae in hac ipsa arce Agriensi modo continentur ac continebuntur postea, tam ea, quae ex redditibus suis vel aliunde

ad ejusdem reverendissimi mei episcopi partem tertiam et ad duas alias sacrae caesareae ac regiae majestatis provenient, quam omnium ingeniorum bellicorum, munitionum, nec non armorum, pulverum, globorum, instrumentorumque tormentariorum et generaliter universarum rerum aliarum in eadem arce Agriensi modo existentium, juxta inventarium, quod ab eodem reverendissimo domino meo episcopo mihi est traditum, et quae imposterum per intervalla temporum existent comparata ac reposita, et in inventarium conscribentur, mihi commisit, assignavit et concredidit, durante ejus beneplacito atque ea conditione, ut semper illi in ipsa instructione, quam dedit mihi, quaecunque cognoverit succisivis diebus sibi et suae huic arci fore utiliora, liceat et demere et addere, uti voluerit. Idem ego Valentinus de Pelyn per Deum verum, vivum et unum, ac per filium ejus dominum nostrum Jesum Christum et Spiritum Sanctum, immensam videlitet trinitatem, unam deitatem juro ac promitto eidem reverendissimo domino meo, domino Antonio Verancio episcopo Agriensi, quod imprimis hunc provisoratum sive hanc administrationem omnium et singulorum, quovis nomine vocatorum, praefati hujus episcopatus Agriensis proventuum, bonorumque et colonorum mihi peculiariter commissorum omni fide, integritate et diligentia pro posse meo, ut virum bonum atque honestum decet, soli ipsi reverendissimo praefato domino meo episcopo, sacrae caesareae Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. regiae majestati, Ferdinando augusto, ac serenissimo domino Maximiliano etc. regi Bohemiae, dominis nostris clementissimis, conscio ejusdem sacrae caesareae et regiae majestatis rationista sive contrascriba moderno

et futuris, juxta instructionem, quam mihi idem reverendissimus dominus meus episcopus dedit, fideliter *) ac citra omnem personarum respectum ac largitionem omnibus colonis et subditis ejusdem reverendissimi domini mei episcopi justitiam et aequitatem administrabo. Deinde arcem quoque hanc suam Agriensem, cujus cura mihi in parte est commissa, resque eas omnes, quae et intra et foris arcem sunt vel erunt, et ad ejusdem episcopatus proventus pertinebunt, contra omnes tam suae reverendissimae dominationis quam praefatae sacrae caesareae et regiae majestatis ac serenissimi regis Maximiliani inimicos fideliter et constanter custodiam, tuebor et conservabo.

Praeterea, quandocunque idem reverendissimus dominus meus episcopus Agriensis Antonius Verancius memoratum provisoratum cum praefatis rebus tam bellicis quam munitionum atque proventuum et aliorum omnium singulorumque, in inventario, quod ab eo jam accepi, continentium, quodque tunc temporis conscribetur, a me repetierit, nec voluerit, ut eo fungar inposterum: pari fide promitto, quod ipso facto, nulla mora, nulla renitentia interposita, nec ullo aut verborum aut rerum causarumque quarumcunque quaesito colore et subterfugio, ipsi reverendissimo domino meo praefato episcopo eundem provisoratum pure et simpliciter restituam et resignabo.

Et insuper de tota administratione ejusdem provisoratus ipsi reverendissimo domino meo episcopo praefato, vel si ipsum e vivis migrare contigerit (quem Deus diu servet incolumem) sacrae caesareae et regiae majestati, aut serenissimo regi Maximiliano, earundemque majestatum fidelibus hominibus ad id

*) Kimaradt, úgy látszik, az összekötő ige.

deputatis justam et rectam rationem reddam, facturus similiter in omnibus et singulis suprascriptis cum sua saepe jam nominata caesarea ac regia majestate et cum serenissimo rege Maximiliano, suisque successoribus et haeredibus, legitimis Hungariae regibus vel eorundem fidelibus hominibus, quibus eam restitui, reddi ac resignari mandaverit.

Casu vero, quo idem reverendissimus dominus meus episcopus e vivis, uti jam dictum est, decederet, eadem fide, qua superius, promitto meque obligo, quod quicquid proventuum quorumcunque, etiam pecuniarum ac quarumvis rerum aliarum tertiae partis ex eodem episcopatu suo Agriensi eidem provenientium, juxta limitationem et conventionem cum eo a praefata caesarea ac regia majestate transactam, tempore mortis suae tam in hac arce sua Agriensi, quam in bonis et pertinentiis ejusdem inveniretur, nemini alii, quam solis fratribus suis duobus, Michaeli et Petro, ac filiis et nepotibus eorum, aut quibus ipsi commiserint, reddam atque restituam, idque ex gratiosa sacratissimae caesareae et regiae majestatis ac serenissimi regis Maximiliani annuentia.

Porro, obligo etiam me sub vinculo ejusdem fidei, honoris et humanitatis meae, quod eidem reverendissimo domino meo episcopo domino Antonio Verancio in omnibus obediens ero, commoda suae reverendissimae dominationis, servitorumque et subditorum suorum totis viribus meis juvare et promovere, damna vero et adversa avertere propulsareque studebo, amicos item et benevolos ejus pro amicis, hostes autem et adversarios pro hostibus et inimicis habebo. Contendamque ita omnia superius expressa, toto posse meo curare et administrare, ut quantum

per me fieri poterit, inhibeam omnes proventuum suorum dissipationes, nihilque nec huic arci suae conservationis, nec ejusdem reverendissimi domini mei episcopi ac sacrae caesareae et regiae majestatis commodorum decedat. Immo etiam ut penes eundem reverendissimum meum episcopum ac sacram caesaream regiamque majestatem et serenissimum regem Maximilianum in omnem eventum casumque fortunae fideliter constanterque permaneam et perseverem.

Et generaliter omnia, quaecunque ad bonum et commodum tam dicti reverendissimi mei episcopi quam suae caesareae et regiae majestatis pertinere cognovero, fideliter, sineque omni dolo ac fraude, conscio semper praefatis, moderno et futuris ejus majestatis caesareae et regiae rationistis sive contrascribis, secundum instructionem supradictam, mihi exhibitam, servabo atque exequar.

Si tractatus quoque aliquos, seu societates seu confoederationes, quovis nomine vocitatas, inter subditos ac servitores ejusdem reverendissimi domini mei episcopi intellexero fieri, promitto fide praefata, quod ego neque consentiam illis, neque earum vel in minimo particeps esse volo, sed potius eas pro posse meo, pro authoritate mea, pro denique viribus ac debito et parte mei officii, remoto omni colore ac tergiversatione, semper veraciter aversabor et prohibebo.

Omnes similiter insidias, si quas ubivis locorum et a quibusvis hominibus contra eundem reverendissimum dominum meum episcopum, contra caesaream et regiam majestatem, et contra serenissimum regem Maximilianum peculiariter, seu una contra omnes communiter fieri continget, haedemque insidiae ad meum scitum pervenient, eadem fide saepe jam me-

morata promitto, quod eas reverendissimo domino meo episcopo, sacrae caesareae et regiae majestati ac serenissimo regi Maximiliano, subito et sine ulla dilatione patefaciam et indicabo, nullas ad hoc omnino cum quibusvis hominibus intelligentias particulares habiturus, sine scitu, voluntate ac mandato ejusdem reverendissimi domini mei episcopi, caesareae et regiae majestatis ac serenissimi regis Maximiliani, praesertim quae essent manifeste regno atque huic arci Agriensi perniciosae.

Postremo, omnia quoque probi, fidelis et obedientis servitoris officia praestabo, ac per omnes ministros, qui a me post reverendissimum dominum meum episcopum pendebunt, praestari atque obire summa faciam integritate et fidelitate, immo juro et obligo me eidem reverendissimo domino meo episcopo Antonio Verancio, per fidem, honorem et humanitatem meam ad praemissa omnia firmiter observanda, harum mearum, sigillo et manus meae propriae subscriptione communitarum vigore et testimonio litterarum mediante. Actum in arce Agriensi, decima die mensis Maji anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.

XXXI.

Copia juramenti Francisci Horvat ad castellanatum et capitaneatum Agriensem. 1562 máj. 13.

Ego N. N. fateor et recognosco per praesentes meas litteras, quod quandoquidem reverendissimus dominus meus gratiosus, confisus de mea fidelitate, constantia et integritate, capitaneatum et castellana-

tum arcis hujus suae Agriensis, ejusque assiduam, vigilantem fidelemque custodiam et conservationem, durante suo beneplacito, mihi dederit et concrediderit: ego idem N. N. per Deum verum, vivum et unum, ac per filium ejus, dominum nostrum Jesum Christum et Spiritum Sanctum, immensam videlicet trinitatem, unam deitatem, juro ac promitto eidem reverendissimo domino meo episcopo, domino Antonio Verancio, quod hanc ipsam arcem Agriensem contra omnes inimicos suae reverendissimae dominationis ac sacratissimae caesareae et regiae majestatis, serenissimique regis Bohemiae Maximiliani, dominorum nostrorum clementissimorum assidue, vigilanter, diligenterque et fideliter pro posse meo eidem domino meo reverendissimo custodiam, tuebor et conservabo. Et quandocunque idem reverendissimus dominus meus hanc ipsam arcem suam Agriensem a me repetierit, nec voluerit fungi me suo capitaneatu et castellanatu, eandem pro mea parte, simul cum omnibus ingeniis bellicis, nec non pulveribus tormentariis et victualibus, ac generaliter omnibus rebus in eadem arce existentibus, secundum inventarium in regestum conscriptis, aut in futurum conscribendis, sine ulla renitentia et mora, sineque omni praetextu aut quaesito colore, aut creditorum meorum quorumcunque tam praeteriti temporis quam futuri, quibus sive reverendissimus dominus meus episcopus tenebitur, sive sacratissimi nostri principes, sed pure, simpliciter ac defacto eidem reverendissimo domino meo episcopo reddam ac resignabo. Et casu quo idem reverendissimus meus episcopus (quem Deus diutissime servet) decederet e vivis, eadem fide promitto, quod hanc praefatam arcem Agriensem nemini alii custodiam, tuebor

et conservabo, quam solis ante jam nominatis dominis nostris principibus, similiter etiam nemini alii reddam ac resignabo, nisi illis solis, nimirum sacratissimae majestati caesareae ac regiae, ac serenissimo regi Maximiliano eorumque successoribus et haeredibus, legitimis Hungariae regibus; sive iis, quibus ipsimet mandaverint, et a me memoratam arcem Agriensem repetierint, nec deinceps voluerint in ejus servitio opera mea uti; perficiamque ista omnia, sine omni tergiversatione, uti supra dixi.

Obligo etiam me sub vinculo fidei, honoris et humanitatis meae, quod suae reverendissimae dominationi in omnibus obediens ero, quodque ejus dignitatem, authoritatem, salutem, honoremque et subditorum, bonorumque suorum omnium pro viribus meis defendere, juvare et promovere, cuncta vero eidem adversantia avertere et propulsare contendam.

Item: amicos suos pro amicis, inimicos vero pro inimicis habebo, penesque majestates suas, hoc est: penes sacratissimam majestatem caesaream, et serenissimum regem Maximilianum, in omnem fortunae eventum et casum fideliter et constanter cum omnibus ad me pertinentibus persistam et perseverabo.

Et generaliter omnia, quae ad bonum et commodum tam praefatorum dominorum nostrorum principum, quam ejusdem reverendissimi mei episcopi putavero pertinere, fideliter, sineque omni dolo ac fraude praestabo.

Si praeterea tractatus aliquos, seu societates aut confoederationes quovis nomine vocitatas inter subditos et servitores ejusdem reverendissimi domini mei episcopi intellexero fieri, promitto fide praefata, quod ego neque consentiam illis, neque earum vel in

minimo particeps esse volo, sed potius eas pro posse meo et debito mei officii, remoto omni colore atque affectu, semper veraciter aversabor et prohibebo.

Item omnes insidias, si quas ubivis locorum et a quibusvis hominibus contra eundem reverendissimum dominum meum episcopum, contra caesaream et regiam majestatem et contra serenissimum regem Maximilianum peculiariter, seu una contra omnes communiter strui continget, et eaedem insidiae ad scitum meum pervenient, similiter fide memorata promitto, quod eas reverendissimo domino meo episcopo, sacrae caesareae majestati ac serenissimo regi Maximiliano, subito et sine ulla dilatione patefaciam et indicabo. Nullas ad haec omnino cum quibusvis hominibus intelligentias particulares habiturus, sine scitu, voluntate ac mandato ejusdem reverendissimi mei episcopi et praefatorum sacratissimorum nostrorum principum, praesertim quae essent manifeste regno atque huic arci Agriensi perniciosae.

Omnia denique probi, fidelis, constantisque et obedientis servitoris officia in hoc meo memorato castellanatu et capitaneatu, erga eundem reverendissimum meum episcopum exhibebo, ac per eos, quorum interierit ac mihi suberunt, exhibere sine contradictione faciam. Immo juro ac promitto et me obligo eidem reverendissimo domino meo episcopo per fidem, honorem et humanitatem meam, ad omnia praemissa firmiter in mortem usque observanda et tenenda, harum mearum sigillo et manus subscriptione meae propriae communitarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in arce Agriensi decimatertia die Maji anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.

XXXII.

Reverendo ac egregiis etc. praefecto, caeteris- 1562. jun. 12.
que sacrae caesareae majestatis camerae hungaricae consiliariis, fidelibus nobis dilectis.

Maximilianus, Dei gratia Bohemiae rex, Austriae archidux etc.

Reverende ac egregii, fideles nobis dilecti. Significavit nobis reverendus episcopus Agriensis Antonius Verancius, se Valentinum Pelyni in provisorem et Franciscum Horwath de Petropolya ac Joannem Zaberdinum in castellanos et capitaneos arcis Agriensis adscivisse, ipsisque hoc nomine de officio credito instructionem expedivisse, quam vobis hisce additam, una cum exemplis juramenti per ipsos praestiti mittimus, sacrae caesareae majestatis etc. domini ac genitoris nobis observandissimi nomine vobis mandantes, ut hanc instructionem cum transactione per sacram caesaream majestatem superioribus exactis annis cum dicto episcopo inita diligenter et accurate conferatis, et num conveniant seu discrepent, exacte cognoscatis, nosque tunc, ubi instructionem praesentem priori transactioni adversari compereritis, quid facto opus videatur, consilio opinioneque vestra doceatis. Exequemini hoc modo cum sacrae caesareae majestatis etc. tum nostram benignam voluntatem. Lyntzio die duodecima Junii, anno etc. sexagesimo secundo, regni nostri Bohemici decimo quarto. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini regis proprium Lien. (?) Püchler de Weittenegg m. p. Olvashatlan név. m. p. J. Rexius m. p.

XXXIII.

1563. máj. 25. Reverendo Antonio Verancio, episcopo ecclesiae Agriensis ac perpetuo comitatus Hewesiensis comiti, sacrae caesareae majestatis consiliario, fideli nobis dilecto.

Verancsics kezével: Redditae 20. Junii Agriae 1563.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus etc.

Reverende fidelis nobis dilecte. Exposuit nobis generosa et magnifica nobis grata Sophia Patoczy, magnifici Georgii Bebeci consors, quod quidam miles Agriensis, Thomas Baxay nuncupatus, indesinenter molestaret eam in bonis Gagy et ejus pertinentiis, per sacram Romanorum caesaream majestatem, dominum ac genitorem nobis observandissimum superiori tempore eidem Bebeco ex gratia collatis, petens humillime, ut ei rei providere dignaremur. Quam ejus petitionem aequitati consentaneam existimantes, tibi clementer mandamus, ut authoritate tua efficias, ne posthac dictus Baxay in bona illa sese violenter ingerat, sed si quid juris in eis se habere praetendit, juxta consuetudinem regni id prosequatur, alioquin gravem indignationem caesareae majestatis incursurus sit. Datum in civitate Vienna, die vigesima quinta mensis Maji anno etc. sexagesimo tertio, regnorum nostrorum Romani primo, Bohemici vero decimo quinto. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini regis proprium Gebhartt Wellczer m. p. H. Fieringer m. p.

XXXIV.

Reverendo Antonio Verancio, episcopo ecclesiae 1563. apr. 2
Agriensis ac perpetuo comitatus Hewesiensis comiti, sacrae Romanorum imperatoriae majestatis consiliario sincere nobis dilecto.

Verancsics kezével: Redditae 29. Aprilis, Agriae 1563.

Maximilianus Secundus, Dei gratia rex Romanorum semper augustus.

Reverende devote, sincere nobis dilecte. Venerat ad nos Vitus Peninger Agriae rerum armamentariarum praefectus, et supplicando declaravit nobis, licet isthic exstructum esset molendinum pro conficiendis pulveribus, salnitrum tamen ad eam rem imprimis necessarium deesset; petebatque submissius, ut ejus quantitatem aliquam Agriam mitteremus. Deliberantibus autem nobis, quid in hac parte faciendum esset, occurrit, te aliquando scripsisse, quod in Debrecenio salnitri magna copia coqueretur, simul ac spem fecisse illius quantitatem aliquam consequendi ab ejus oppidi incolis, loco alicujus servitii seu contributionis, quam Agriae praestare tenerentur. Quare clementer petimus, quid in hac re egeris vel acturus sis postea, nobis quamprimum significes, signanter vero in eo sis sollicitus, ut Agria salnitro isthic muniri queat, quandoquidem abhinc vix pretio, quo isthic emitur, devehi posset.

Retulit praeterea idem Vitus Peninger, quod nullum exstaret inventarium super bambardis et aliis

rebus bellicis, quas in sua custodia haberet, et hinc fieret, quod quilibet sibi potestatem vendicaret in domum armamentariam imperandi. Quare abs te clementer petimus, ut super eisdem rebus universis duo aequalia inventaria illico conscribi cures, et unum quod ipsius Viti manu et sigillo munitum sit, nobis ad manus consiliariorum bellicorum transmittas, alterum vero tua manu subscriptum ipsi relinquas. Praeterea potestatem in eam domum imperandi, omnibus, te, vel in absentia, castellanis exceptis, adimas, et si quid ex ea deprompseris, quicquid illud fuerit, chirographo eidem Vito assignando comprehendas, atque castellanis, ut idem faciant, injungas, ne in sola Agria fiat confusio, sed observetur ordo, quem passim in omnibus domibus armamentariis suae majestatis observare consueverunt.

Supplicaverat etiam pro aliis quibusdam rebus vilissimis, Cassoviae aeque ac hic venalibus, pro quibus emendis ad Franciscum Pestiensem mandatum dedimus. Reliquum est, quod tibi regio nostro favore inclinati sumus. Datae Viennae secundo die Aprilis anno Domini MDLXIII, regnorum nostrorum Romani primo, Bohemiae decimoquinto. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini regis proprium Gebhartt Wellczen m. p. H. Fieringer m. p.

XXXV.

Maximilianus Secundus, divina favente clemen- 1563. jun. 27.
tia Romanorum rex semper augustus etc.

Reverende, fidelis nobis dilecte. Questus est apud nos magnificus Franciscus Therek de Enhyng, Transsylvanum, filium quondam regis Joannis, a se et orphanis quondam fratris sui, oppidum Debrecen, tanquam quod jure haereditario ad se pertineat, redimere et alienare velle: quod quidem ab adposito ipsius Transsylvani litterarum exemplo clarius cognosces. Eapropter sacratissimae caesareae majestatis etc. domini ac genitoris nobis observandissimi nomine tibi benigne praecipimus, ut nos, an oppidum illud ab ipso Transsylvano tanquam haereditarium superioribus annis inscriptum, seu an fisci regii peculium sit, informes, et num, seu quo pacto haec, quam instituit, redemptio impediri possit seu debeat, diligenter deliberes, et nobis deinceps sententiam opinionemque tuam hac de re diserte idque mature rescribas. Executurus ejusdem majestatis caesareae et nostram perquam benignam voluntatem. Datae in civitate Vienna die vigesima septima mensis Junii, anno a nato Christo millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, regnorum nostrorum Romani primo, Bohemici vero decimo quinto. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini regis proprium Lien. Püchler de Weittenegg m. p. Olvashatlan név m. p. J. Rexius m. p.

XXXVI.

1563. jul. 2. Reverendo Antonio Verancio, episcopo ecclesiae Agriensis, comiti perpetuo Hewessiensi, sacrae caesareae majestatis consiliario, fideli nobis dilecto.

Verancsics kezével: Redditae 22. Julii Agriae 1563.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus etc. Reverende, fidelis nobis dilecte. Accepimus ternas litteras tuas de XV. et ultimo praeteriti mensis Maji, alias vero de quarto Junii, et quantum ad primas, commisimus illico Ladislao Keretscheni, ut Zygethienses, qui sunt Agriae applicati, sine mandatis aliisque molestationibus amplius non urget, (igy) verum ipsos quiete Agriae servire sinat.

Deinde quae de civi quodam Hadhwanensi et Turcarum conatibus scribis, clementer intelleximus, tuamque in scribendo operam approbamus, committentes, ut etiam in posterum, si quid tale intellexeris, nobis perscribas. Et quoniam brevi commissarios nostros Agriam missuri sumus, qui rebus Agriensibus, tam his quam aliis, prospicient atque dirigent: ideo tibi sacratissimae caesareae majestatis, domini ac genitoris nostri colendissimi nomine firmiter mandamus, ut interea temporis pro tuo candore et industria sedulo advigiles, cumque militibus Agriensibus agas, ut excubias et officia sua militaria diligenter, sicque praestent, ne de periculo aliquo timendum sit.

Praeterea quae de Turca Zolnokiensi, qui Franciscum Kathay in duellum et certamen singulare pro-

vocavit, scribis, intelleximus, attamen tibi peroptime constat, apud majestatem caesaream jam antea deliberatum et conclusum fuisse, ut hujusmodi duella amplius non concedantur, cui deliberationi etiam nos inhaerimus. Quare eidem Francisco Kathay interdicas, ne se cum huic (igy) vel alio Turca intromittat. Quod tibi ad praefatas litteras rescribere voluimus, tibique gratia nostra regia inclinati sumus. Datae in civitate Vienna secunda die Julii anno etc. sexagesimo secundo, *) regnorum nostrorum Romani primo, Bohemici vero decimoquinto. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini regis proprium Gebhartt Wellczen m. p. H. Fieringer m. p.

XXXVII.

Nos Ferdinandus, divina favente clementia ele- 1563. dec. 1.
ctos Romanorum imperator, semper augustus etc.

Fatemur et recognoscimus his litteris nostris memoriae commendantes universorum et singulorum. Quod nos, praesentis temporis perturbatione et periculis a vicino hoste, eoque formidolosissimo imminentibus, moti: quum nostri sit muneris et officii, tum hujus regni nostri Hungariae saluti, tum caeterarum Christiani imperii partium securitati consulere, plurimumque momenti in Agriae incolumitate situm intelligamus, tam ad dicti regni nostri Hungariae conservationem, quam ad vicinorum regnorum et provinciarum christianarum tranquillitatem. Ac pro-

*) Tollhiba ‚tertio' helyett, mit abból is láthatni, mert Maximilián, ki magát e levél elején Romanorum rexnek irja, 1562. julius 2-án még nem volt római király.

inde statum Agriae in aliam, quam quae hactenus fuit, formam, re ipsa et necessitate publica requirente, restaurandum, adducendumque rati, cum fideli nobis dilecto reverendo Antonio Verancio episcopo Agriensi consiliario nostro in tractatum venimus, quo ipse Agria ad tempus cederet, eamque nostrae curae, providentiae atque tutelae concrederet atque commendaret, praefectura imposita, praesidioque militum ad praesentes opportunitates, contra hostium insidias, atque improvisas impressiones ordinando, etiam ipsius ad hoc consilio, petitioneque accedente, qua non multo ante tempore hortabatur nos non minus pie quam prudenter, ut ei arci atque oppido aliter, et meliore quidem modo prospiceremus, quam ad hoc usque tempus prospectum fuerat, atque ut sibi alium locum pro sua residentia tribueremus, postulabat. Ac in has infrascriptas tractatus conditiones benignum illi assensum praebuimus.

Primum: ut dictus reverendus episcopus omnes et singulos episcopatus proventus, deinde arces duas Agriensem et Zarwaskew cum colonis, eorumque servitiis, quo earundem arcium conservationi commodius ac liberius valeamus consulere, totamque rerum Agriensium administrationem, tutelam, curam ac providentiam nobis ad tempus credat et commendet propter praesentium temporum pericula.

2. Retineat autem sibi omnimodam jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam, cum jure patronatus, quod habet a nobis donatum super omnia beneficia ecclesiastica et bona ac jura possessionaria dicti episcopatus Agriensis, ne praefecti et moderatores Agrienses, vel donationibus, vel libertationibus, vel relaxationibus, vel similibus aliis titulis, praedicta

bona et jura distrahant in ejus et ecclesiae suae praejudicium.

3. Uti nos mandemus expresse praefecto, ne miseram plebem insolitis exactionibus et laboribus gravet, sed contentus sit ordinariis et consuetis, neve episcopatus possessiones militibus in officia distribuat, unde vexatio colonorum, et desolatio memoratorum bonorum episcopatus sequeretur, sed juxta antiquam consuetudinem officiales adhibeat.

4. Uti mandemus eidem praefecto, ut ad retinenda et tuenda jura supradicta et existimationem in ipso episcopatu dicto episcopo Agriensi omnino auxilio sit et protectioni.

5. Quod ad privilegia episcopatus attinet, quum homines sint mortales, et incerta sit hora fati supremi, et successoribus ejus, indemnitatique ecclesiae consulere nos oporteat, privilegia episcopatus apud capitulum Posoniense pro secura custodia reponantur, asserventurque.

6. Porro: ut pro illa sede habeat receptum et locum residentiae commodum et securum, et proventuum pro sua portione cedentium certam compensationem: conferimus ei praeposituram Turociensem cum omnibus ejus pertinentiis et utilitatibus, libere et pro suo arbitrio, integre, sine ulla pensione cuipiam ex ea praestanda possidendam, tamdiu donec Agria commode ei restitui poterit. Et praeterea paratae pecuniae in monetis florenorum rhenensium octo millia, quotannis eidem in tricesima nostra Zempciensi numeranda, et intra anni exitum persolvenda, atque initium a principio messis praesentis anni, calendis videlicet Augusti sumendum decrevimus.

7. Praeterea quum idem episcopus non intendat

se abdicare praefato episcopatu suo, et jurisdictionibus arcibusque, et colonis, caeterisque hujusmodi juribus suis, ne in quampiam diminutionem dignitatis suae episcopalis, et rerum suarum aliarum jacturam decidat: annuimus ei ad ejus humillimam petitionem, ut quoscunque capitaneos seu officiales successivis temporibus sumus constituri in arcibus episcopatus dicti, Agriensi et Zarwaskew, in eis diligendis et constituendis ejus quoque opinionem et consilium clementer intelligamus, et ut eidem pro episcopalis dignitatis respectu praefectus sit juratus, quod illum episcopum et patronum loci agnoscet, et si quando jusserimus, ei arcem resignabit, nec contra ejus jura quicquam molietur, salvo nobis corporali dominio ad tempus; eundemque honorifice habebit, et ubi erit necesse, tuebitur ac proteget.

8. Praeterea ut eo majorem gratiae nostrae in se inclinationem memoratus episcopus agnoscat, concessum ei etiam esto, ut coloni in pertinentiis episcopatus, ipsum dominum terrestrem et episcopum agnoscant, modo ne in proventus et servitia arcis se ingerat. Licebit ei etiam vineas suas colere, quemadmodum ipsemet postulat, suo sumptu, suoque modo, absque arcis detrimento. Si quae porro vineae ab antiquo ad arcem pertinuisse compertae fuerint, eas ad arcem possidendas permittat.

9. Ubi autem capitaneus noster Agriae collocandus, ita ut promissum est, juraverit, reverendus episcopus Agriensis Antonius Verancius illi administrationem honoris comitatuum, quorum ipse comes est, Hewesiensis et Borsodiensis committat, uti is ipsius loco ea authoritate fungatur et judicia administret, et jurium ejus possessionariorum procurationem

obeat, et quaecunque controversiae et negotia colonorum inciderint, discernat, juxta id, quod idem episcopus sese obtulit facturum, ne multiplici gubernatione status loci perturbetur.

10. Liceat etiam ei de quartis statuere, quae jurisdictionem decimarum episcopalium sequuntur, ita tamen, uti parochis et altaristis et caeteris ecclesiasticis personis liberae eorum quartae relinquantur. Ac si quae essent quartae vel vineae ecclesiarum aut altaristium, ubi illae parochis aut altaristis vacarent, curam adhibeat dictus episcopus, ut personas idoneas substituat, eisque ejusmodi vineas et quartas atque beneficia ecclesiastica conferat. Si tamen catholici tales ministri non invenientur, episcopus earum pro suo arbitratu, qui ecclesiae Agriensi servit, curam habeat. Nec tamen easdem sive parochias, sive altaria sectariis et alienis a dogmate ecclesiae catholicae conferat.

11. Quod ad habitationes attinet, concessae sunto ei habitationes solitae in arce Agriensi, cum Agriae fuerit, et alia domicilia ejus usibus necessaria. Ita tamen, ut eo absente, praefecto et officialibus eisdem habitationibus et repositoriis uti liceat.

12. Magister scholae, fiscalis, quatuor capellani praelati, nec non procurator episcopatus, vicecomites duo, Hewesiensis et Borsodiensis, et subcustos de redditibus episcopatus conserventur, si ab antiquo iis de redditibus sustentatio est suppeditata, pro veteri ejus ecclesiae consuetudine.

13. Sciat autem reverendus episcopus, demandatum esse praefecto, et ejus instructioni insertum, uti clerum totius sui episcopatus Agriensis per totam diocesim existentem, specialiter vero capitulum suum

Agriensem, una secum, et ecclesiam suam et religionem catholicam pro suis viribus tueatur et protegat, cum omnibus bonis et juribus possessionariis eorundem, et in arce et in oppido nullomodo, neque in pagis totius vallis Agriensis et in villis eidem contiguis, quantum fieri poterit, concionatores et magistros scholarum haereticos teneri, foverique etc. patiatur. Neve statum eundem Agriensem quem repererit, deteriorem faciat, sed potius meliorem reddendum curet.

14. Quum porro frumentis et vinis ex hujus anni messe atque vindemia collectis, Agriam toto anni decursu usque ad futuram messem, tam solutionibus quam commeatibus provideri ac sustentari oporteat: frumenta proinde ac vina, tum ex decimis episcopatus, tum ex nonis, aut alias quibuscunque colonorum constributionibus consuetis ac legitimis contracta, et caeteros etiam proventus, integre ac in universum et citra omnem divisionem necessitatibus Agriae cedat et relinquat. Nec secus reputet in ea parte, quam si haec trasactio ante messis praeteritae exordia secum sit inita, cum tractatus inter nos et ipsum dudum antea fuerit institutus. Si quae vero ex superiorum annorum divisionibus pro sua rata, frumenta et vina adhuc supersunt, illa salva ipsi sunto, et liberae ejus dispositioni relinquuntor. Itidem etiam vina, quae ex ejus vineis propriis provenerint, aut aliter ipsi proprium obvenerint, relinquuntor.

15. Quantum ad decimas superioribus annis pro necessitate nostra, ad provisionem Cassoviae, caeterorumque finium perceptas attinet, rationibus cum dicto episcopo subductis, id, quod pro tertia parte deberi liquebit, ei sine difficultate praestetur.

16. Ubi autem episcopus postulat, ne decimae

per dispartitionem progressu temporis ab episcopatu abalienentur: sciat, non esse animum nostrum, ut illae aliis atque aliis distribuantur vel in diversa distrahantur, verum ut ad solutiones et necessitates Agriae conferantur, et in posterum juri episcopatus integre conserventur, etiamsi pro servitiis collatae quibuspiam fuerint decimae aliquae, qui eas pro tempore percipient. Cautum tamen esto, ne per hoc successivis temporibus, tanquam haereditario jure ab eisdem usurpentur.

17. Si quid episcopus comperietur de sua propria portione tertia ad necessitates Agrienses exposuisse, aequum censemus, uti id illi reponatur. Idque clementer fieri demandabimus.

18. Quod spectat ad officialium rationes, si ii subductis calculis convicti fuerint, facturi sumus id, quod aequitas et justitia postulabit.

Atque haec praescripta omnia testamur et promittimus, nos rata, grata et firma habituros et observaturos. Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum, quas pro majori robore manu nostra propria signavimus, sigillique nostri secreti appensione communivimus. Datum in civitate nostra Viennae Austriae calendis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, regnorum nostrorum Romani tricesimo tertio, aliorum vero tricesimo septimo. Ferdinandus. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium. Lien. Püchler de Weittenegg. Erasmus Haidenreich. J. Rexius. J. Baptista Dunant.

XXXVIII.

1563. dec. 13. Nos Ferdinandus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex, infans Hispaniarum, archidux Austriae, dux Burgundiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis, quod nos attentis praeclaris virtutibus et meritis fidelis nostri reverendi Antonii Verancii, episcopi ecclesiae Agriensis, comitis perpetui comitatus Hewesiensis et consiliarii nostri, quibus eum nostra propria experientia praeditum esse cognovimus; et nihilominus pensantes eximiae devotionis et fidelitatis sinceritatem, qua idem honori et commodis majestatis nostrae servire non cessat: eidem praeposituram conventus ecclesiae beatissimae Virginis Mariae in comitatu Thurociensi existentem et habitam, per mortem fidelis nostri reverendi condam fratris Joannis Colosvariensis, episcopi ecclesiae Chanadiensis, ejusdem praepositurae ultimi, veri et legitimi possessoris, nunc de jure et de facto vacantem, authoritate jurispatronatus regii, quod generaliter in omnibus praedicti regni nostri Hungariae ecclesiis, more praedecessorum nostrorum, ejusdem regni Hungariae regum felicis memoriae, habemus: simul cum totalibus castro Znyo, nec non oppidis, villis teloniis, possessionibus, curiis, portionibus, praediis, et aliis quibusvis juribus possessionariis tam in dicto Thurociensi, quam in aliis quibusvis regni nostri

Hungariae comitatibus existentibus et habitis, ad eandem praeposituram Thurociensem de jure et ab antiquo spectantibus pertinereque debentibus, in commendam duximus dandam et conferendam, ita tamen, et istis sub conditionibus: ut idem conventum ecclesiae illius restauret, et in pristinum statum redigendo in integrum restituat; religionem ejusdem conventus secundum regulam illius ordinis reformet; item, ut in conventu personas regulares et idoneas, more aliorum conventuum, prout scilicet ibidem ab antiquo consuetum, sed praeteritis hisce disturbiorum et bellorum temporibus intermissum fuit, intertenere, et per easdem, executiones juridicas in comitatibus, eidem praepositurae in faciendis executionibus sub antiquo subjectis, fieri curare, divina officia, verbique divini ac sacramentorum administrationem debite peragi et obiri facere, doctum item et catholicum ludimagistrum, quo juventus in litteris et vera religione recte erudiri ac institui possit, intertenere debeat ac teneatur. Et quum praeterea fidelis nobis sincere dilectus reverendissimus in Christo pater Dominus Nicolaus Olahus archiepiscopus Strigoniensis, primas Hungariae, legatus natus, summus et secretarius cancellarius ac in Hungaria locumtenens noster etc. in ejusdem praeposituram oppido Sellye, hactenus usque dum praeposituram illam tenuit, certum ordinem instituerit, secundum quem pedites et eorum decuriones tempore necessitatis arcem Wywar armati, cum banderio et tympano militari praesidii causa intrare et ibi manere fuerunt soliti: idem quoque secundum eandem ordinationem in posterum memoratis oppidi Sellye inhabitatoribus committat, ut postulante necessitate, ad mandatum provisoris et capitanei, in dicta arce Wywar

pro tempore constitutorum, armati, ut dictum est, more militari pro praesidio in eandem arcem venire, ibique tamdiu, donec necessitas postulaverit, manere et perseverare, ac capitaneo ipsi in rebus bellicis omnem obedientiam praestare debeant et teneantur. Immo eligimus et nominamus, damusque et conferimus, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum. Quocirca vos fidelem nostrum memoratum nobis sincere dilectum, dominum archiepiscopum Strigoniensem etc. praesentibus clementer hortamur: quatinus praefatum Antonium Verancium in dicta praepositura Thurociense, ordinaria vestra authoritate canonice instituere, investire et confirmare non omittatis. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Viennae decima tertia die mensis Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio. Ferdinand m. p. Andreas Dudith Sbardellatus episcopus Quinqueecclesiensis etc. m. p.

XXXIX.

Exemplum instructionis commissariis Agriam ad collocationem Casparis Magochy delegatis datae. 1564. febr. 9.

Ferdinandus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus ac Germaniae, Hungariae et Bohemiae etc. rex etc.

Instructio fidelibus nostris, reverendo Gregorio Bornemizza, electo episcopo Chanadiensi, ac magnificis Francisco Thurzo de Bethleenfalwa, consiliariis, et Joanni Pruzkowzky capitaneo Trinciniensi, commissariis nostris Agriam expeditis data.

1. Quum fidelium nobis dilectorum reverendi ac magnifici Gregorii Bornemyzza episcopi Chanadensis, Francisci Thurzo de Bethleenfalwa, consiliariorum nostrorum et Joannis Prwzkowzky, capitanei nostri Trinciniensis fidem erga nos, industriamque et agendi dexteritatem ex multarum et magnarum rerum tractatione cognitam et perspectam habeamus, eis potissimum provinciam demandandam duximus status arcis Agriensis ordinandi, clementer confisi, eos ita id totum negotii tractaturos, ut eorum operae diligentiaeque insignem fructum capiamus, cum singulari nostra adprobatione.

2. Imprimis et ante omnia commissarios nostros scire oportet, quod nos fideli nobis dilecto magnifico Gaspari Magochy, attentis et consideratis pristinis ejus fidelibus servitiis et meritis praeclaris, spe etiam

certa de illius dexteritate et scientia militari concepta, episcopatum Agriensem, arces itidem Agriensem atque Zarwaskew cum earum pertinentiis omnibus, ac proventuum administrationem; ad haec bonorum universorum ubilibet existentium ad Agriam pertinentium aut adnexorum quovismodo, posessionem, regimen atque gubernationem, curam, custodiam et defensionem contulerimus, absolute exclusis duntaxat negotiis ecclesiasticis et spiritualibus. Ita ut ipsi sit plena facultas disponendi, (ex usu tamen nostro et regni nostri Hungariae) pro suo arbitrio tam quod ad regimen spectat, quam quod ad proventus. In eas tamen nobis cum illo convenit conditiones, quae instructione expedita sunt comprehensae. Cujus ob id commissariis nostris per litteram *a* hic copiam facimus. Addita etiam transactione cum reverendo Antonio Verancio episcopo Agriensi inita per litteram *b*.

3. Juxta illas igitur conditiones consiliarii nostri dictum Casparem Magochium in arcem Agriensem, praefecturamque seu capitaneatum introducent et collocabunt, cujus actionis hunc ordinem observabunt. Primum: pro more, loco publico, in ipso scilicet arcis aditu juramentum stricte ac religiose ab illo exigent, quatenus arcem nobis fideliter custodiet ac conservabit, nec eam vel christiani nominis hostibus Turcis, vel adversariis nostris, neque cuipiam alteri praeterquam nobis ipsis, aut sacratissimo domino Maximiliano Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi, liberisve et successoribus nostris, regni Hungariae regibus, sive hominibus per nos, seu serenissimum regem Maximilianum, liberosve et successores nostros ad id expeditis assignabit. Et pro suis viribus de officio boni, vigilantis, fidelis et strenui capitanei nihil

omittet, eamque imminente obsidione (quam Deus pro sua ineffabili clementia avertat) minime deseret, et quoad humana diligentia atque providentia virtuteque effici, praestarique potest, integram atque incolumem nobis, dictoque serenissimo Hungariae regi ac successoribus nostris regnoque nostro conservabit. Arcem itidem Zarwaskew fideliter nobis conservabit, nec in alterius cujuspiam manus sinet pervenire, atque castellanum, cui eam arcem committere Magochius voluerit, coram ipso juramento ipsimet commissarii de fideli ejus arcis custodia et conservatione nobis obstringent. Bona et proventus episcopatus ac coronae nostrae non diminuet, nec dilacerabit, nec quoquomodo abalienabit. Subditos non opprimet, nec vexabit injuste, sed in eorum justis juribus, privilegiis ac libertatibus retinebit, legitimisque et consuetis eorum tributis et servitutibus, quantum haec tempora ferent, contentus erit. Ac si quando vel ipse officiose abdicare voluerit, vel nos illi successorem dare decreverimus, aut aliter de statu arcis deliberaverimus, arcem vacuam victualibus non resignabit, sed ea omnia tum victualia, tum tormenta, caeterasque machinas et instrumenta bellica, aut alias in arce necessaria, quae inventario ipsi fuerint tradita, in ea sine defectu aliquo relinquet.

Ejusmodi porro accepto juramento, claves arcis a pristinis officialibus in manus suas receptas, illi ibidem tradant, et super ejus jurisjurandi obligatione reversales nobis sufficientes ab illo capiant, quas una cum relatione sua nobis reversi porrigant.

4. Eodem autem juramento in eam quoque transactionis conditionem Magochium simul obstringent, quod reverendum Antonium Verancium, episcopum

Agriensem, ejus loci episcopum et patronum agnoscet, et siquando id ita jusserimus, illi arcem resignabit, nec contra jura illius quandocunque molietur, eundemque honorifice habebit, et ubi erit necesse, tuebitur ac proteget.

5. Deinde in ipsa arce granaria omnia, apothecas, cellasque vinarias, ac repositoria farinae, eodemque pacto armamentaria quoque diligentissime perlustrabunt, victualiaque cuncta per genera, distinctis titulis, inventario conscribent. Nec minore attentione tormenta bellica, barbatas, pixides, pulverem tormentarium, globos, igneam materiem omnem, sulfur, salnitrum, ferrum, aes, plumbum, chalybem, funes, trochleas, tractoria et vehicula tormentorum, et generatim machinas universas, instrumentaque bellica, et quaecunque alia in arce necessaria, ubique et in omnibus arcis partibus atque recessibus conscribent, nulla penitus necessaria re, materieve nequidem minima omissa. Ejusce vero inventarii tria exemplaria facient, pro majori robore sigillis suis et manuum suarum appositione consignata, quorum unum Magochio relinquent, alterum in cameram nostram hungaricam tradent, tertium nobis una cum relatione exhibebunt.

6. Quod porro in omni actione hac caput quodammodo esse videtur, ut caetera rite deinceps ordinari administrarique possint, notum commissariis nostris esse voluimus, nos transactionem cum reverendo devoto fidele nobis dilecto Antonio Verancio, episcopo Agriensi non secus inivisse, atque ut ea ab exordio messis anni proxime praeteriti sexagesimi tertii initium sumat, nimirum a prima Augusti die, quandoquidem multo ante tractatum cum illo fuerimus in-

gressi. Unde etiam pensionem ipsi annuam octo millium florenorum rhenensium in tricesima nostra Zempciensi inchoandam benigne ordinavimus. Quamobrem praecipimus commissariis nostris ac mandamus expresse, uti a provisore caeterisque officialibus dicti reverendi Antonii Verancii proventus universos, et particulatim singulos, ubique a prima die Augusti mensis proxime elapsi anni postulent, atque citra omnem defectum produci, ac sibi numero eodem, qui in codicibus perceptionum continetur, exhiberi jubeant. Vina et frumenta decimalia ac nonalia, verna, item sementem omnem, census, taxas, mulctas, Jazygum ac Cumanorum nostrorum contributiones, pecunias ex arendationibus decimarum et quartarum episcopalium collectas, atque alios redditus cunctos, quocunque vocabulo adpellentur, eosque ipsos codices rationarios a provisore et officialibus per autographa, seu in specie in manus suas poscant, atque accurate excutiant, indagentque ea, qua in hujusmodi re opus est, solertia adhibita, defectus codicum et fraudes officialium, easque compertas annotent. Si quae vero de proventibus provisor ac officiales dissimulare conati fuerint, ea quoque sagacissime rimentur et eruant, adhibito in eam pervestigationem etiam contrascriba nostro egregio Benedicto Bachy, et per jusjurandum, quod nobis super fidelitate juravit, serio examinato. Ea vero cuncta ac singula eo pacto deprehensa et eruta, in scriptum redigant, quo etiam distincte et quasi numerato referant ea quoque, quae cum manifesta erunt, tamen illi vel contumacia, vel cupiditate privata, vel jussu episcopi proferre et redhibere noluerint. Ut eis omnibus ex ipsorum relatione cognitis defectibus, facultas sit nobis statuendi, quod ex usu

nostro fore videatur. Cognoverint etiam, num caeteri capitanei et servitores ac officiales nostri quospiam proventus pro seipsis usurpaverint, eosque praefixo singulorum nomine distincte conscribent.

7. Et quia civitas nostra Cassovia, arx Saros, caeteraque loca finitima, uti Zenderew et Zathmar, non aliunde quam ex decimis Agriensibus commeatu queunt provideri, quo tam praesidia sustententur in dies, quam in incertum necessitatis articulum prospiciatur, dispicient commissarii nostri, quaenam sint decimae dictorum locorum alimento et sustentationi maxime opportunae, quaeque prae aliis cunctis, citra detrimentum Agriae, ad ea loca adplicarentur, easque certas ac necessarias tantum deligant, nominentque, quas deinceps administrator noster percipiat singulis annis, reliquas autem omnino missas faciat. Ac super universis aliis decimis Gaspari Magochio libera facultas esto disponendi pro arbitrio suo, eas ipsas colligendi, locandique, et violentos impetitores ab earum usurpatione arcendi. De dictis autem decimis in nostros usus sequestrandis, cum Magochio certo concludant, ut illae ratae nobis et firmae permaneant. Deque earum arendae modo constituant, ac rationem aptam ineant, unde et quo facto earum arenda memorato Gaspari Magochio commode compensari posse videatur. Atque singularem in deliberationem vocabunt, num ex jurisdictione capituli Agriensis decimae in annonam supra memoratorum locorum sufficientes possint conduci, ac si ita compererint, ejusmodi decimas nominabunt. Ea enim ratio nobis vehementer probaretur, ut integris decimis episcopatus Magochio permissis, proventus universi in solutiones militum, arcesque provisionem conferrentur, quo melius loco

esset prospectum, Magochioque nulla relinqueretur ansa in posterum conquerendi, et supplementa defectuum immodica postulandi. Etiam si forte decimae capitularium provisioni finium illorum sufficientes idoneaeque per se non essent, tamen illis quoque accedentibus, tanto minor fieret decimarum episcopatus avulsio, quanto plures e censu capituli adplicarentur.

8. Inquirant etiam commissarii nostri diligenter, num quid episcopus ad arcis aedificia atque munimenta de sua tertia contulerit, et quantum id sit; sive nihil ejusmodi compertum fuerit, nos, prout res se habebit ipsa, certiores reddent, cum is nobis exposuerit, non modicum se de sua rata in fabricas expendisse.

9. Et quoniam proventus ad Agriam pertinentes magna ex parte consumpti, et duae possessiones nostrae inter Cumanos, Maria-laka et Chersa aliis collatae dicuntur, volumus, ut commissarii nostri defectus ejusmodi resciant et annotent, atque quodnam hac una vice e dicis comitatuum Pesthiensis et Borsodiensis subsidium pro meliori integri ordinis militum sustentatione annuendum sit, deliberent, nosque relatione sua edoceant.

10. At quia etiam oppidum Zegediense Valentino Peleni, durante beneplacito nostro, collatum perhibetur, id quoque dicti commissarii certo cognoscant, nosque consilio et opinione sua doceant, quo pacto id oppidum in usus nostros commode recuperare queamus.

11. Porrectae porro nobis sunt querelae de officialibus nomine civium Agriensium, super laboribus atque servitiis, taxis extraordinariis, et quod officiales propria civium vina adimant, eisdemque pretio im-

modicum taxato revendant, quas huic instructioni eo fine adjungendas mandavimus, ut eas commissarii certo cognoscant, statuantque ordinem aptum aequitati, ne cives posthac causam conquerendi habeant.

11. Perlustrabunt nostri commissarii arcem ipsam, et singulas ejus regiones accurata inspectione considerabunt, atque statuent, an aliquibus fabricis, munimentisque ea indigeat; quaeque summa singulis annis e proventibus Agriensibus in aedificia ac munimenta arcis converti possit, definiant, ad nosque scripto suo referant; de castello item Chyath fratrum Raphaelis, Stephani ac Bolthasaris Zini, (?) quod Agriae contiguum esse audimus, sententiam ferant, num scilicet illud praesidio sit muniendum, vel absque regni detrimento dirui possit.

13. Monebunt etiam atque etiam Casparem Magochy, ne quam decimarum, bonorumque et proventuum ejusmodi dispartitionem seu locationem faciat, unde ditionis episcopatus, decimarumque atque aliorum proventuum et bonorum coronae avulsio, alienatioque sequatur. Neve oppida et pagos officii titulo militibus distribuat, in oppressionem subditorum.

14. Quia vero instructione singula negotiorum momenta, praesertim vero, casus in loco ipso, reque praesenti emergentes conprehendi nequeunt, erit industriae fideique commissariorum nostrorum, si quae hac nostra instructione praeterita animadverterint, quae ad rem spectare videantur, ea quam diligentissime et quam rectissime curare, disponere atque perficere in commodum nostrum, locique conservationem. Quam eorum operam omni nos gratia nostra imperatoria ac regia agnoscemus, et datis occasionibus gratam nobis accidisse declarare haud omittemus.

15. De tota vero actione, partibusque ejus atque capitibus singulis relationem nobis lucidam et ordinatam perscribent, eamque ad nos, addita super quibuslibet punctis praecipui maxime momenti opinione sua, quam accuratissima deliberatione deducta et conclusa, primo quoque tempore perferent. Datum Viennae 9. Februarii anno etc.

16. Post scripta. Commissarii nostri inquirant diligenter, qualis ordo annis superioribus institutus inter magnates, comitatusque et civitates Agriae vicinos super subsidio in obsidionis periculo Agriae ferendo, donec auxiliares nostrae copiae illuc pervenirent; atque ut ille ipse ordo imposterum quoque observetur, et ratus habeatur, efficiant. Actum ut in instructione.

XXXIX.

Exemplum instructionis Gaspari Magochy praefecto arcis Agriensis datae 10. Februarii 1564.

1564. febr. 10. Ferdinandus divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Instructio magnifico fideli nostro Gaspari Magochio, comiti comitatuum Hewes, Borsod et Torna, capitaneo nostro Agriensi super officio suo rite exercendo data.

1. Postquam de fide fidelis nobis dilecti Gasparis Magochii, industria, dexteritate, reique militaris peritia, et infracti animi constantia, tum ejus capitaneatu antea Giulae gesto, tum recentioribus praeclaris facinoribus, diversis in nostris expeditionibus editis, certa et sufficientia documenta acceperimus, ei ante omnes uti capitaneo et praefecto nostro Agriam committendam duximus, arcem ut proventibus opimam, ita ad defensionem regni, potissimum autem superiorum partium atque aliarum etiam christianarum provinciarum maxime opportunam, ac propterea non parvo in discrimine, quantum ad insidias atque impetitiones tum hostium Christiani nominis Turcarum, tum adversariorum nostrorum attinet, positam, clementer confisi, fore, ut eam nobis, regnique nostri Hungarici coronae integram atque incolumem conservet, speique in eo, et exspectationi de se nostrae abunde satisfaciat.

2. Primum omnium sciat Gaspar Magochy nos praememoratis ejus virtutibus confisos, perspectaque singulari erga nos fide, ipsi capitaneatum Agriensem contulisse, curamque, custodiam, regimen, gubernationem totius episcopatus Agriensis, arces duas Agriensem et Zarwaskew, episcopatum item totum, et pertinentias Agrienses universas, quantum ad custodiam, curam, conservationem, regimen et gubernationem, praeterea proventus cunctos Agrienses, ad haec universorum bonorum ubilibet existentium ad Agriam pertinentium, tam ipsi episcopatui proprie, quam coronae nostrae subjectorum, uti Jazygum et Cumanorum nostrorum, plene et absolute credidisse et commisisse, uti nullo penitus adhibita contrascriba vel rationista, ipsi liceat disponere et statuere pro suo arbitratu, ex usu tamen nostro et regni nostri Hungariae, juxta eas conditiones, quae hic ordine sequuntur.

3. Inprimis autem cautum esse volumus, ne ullo pacto in ecclesiastica et spiritualia negotia, religionem, ritus ac ceremonias se ingerat, sed eas partes tamquam a se longe alienas iis relinquat, quibus ex officio ea cura incumbit. Ipse defensioni tantum et custodiae Agriae, reique militari ac gubernationi sibi commissae sit intentus, intraque sui muneris metas se contineat.

4. Notum itaque esse volumus Magochio, nos omnimodam jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam, cum jure patronatus, sicuti jam antea a nobis donatum habuit, reverendo fideli nobis dilecto Antonio Verancio, episcopo Agriensi, super omnia beneficia ecclesiastica, ac bona et jura possessionaria dicti episcopatus Agriensis integram eidem reliquisse. Volumus igitur, ne praefectus noster vel donationibus, vel li-

bertationibus vel relaxationibus vel similibus aliis quibuslibet titulis praedicta bona et jura ecclesiae distrahat in illius et ecclesiae suae praejudicium.

5. Praecipimus item et mandamus, ne miseram plebem insolitis exactionibus et laboribus gravet, sed contentus sit ordinariis et consuetis, neve episcopatus possessiones militibus in officia distribuat, unde vexatio colonorum et desolatio memoratorum bonorum episcopatus sequeretur, sed juxta antiquam consuetudinem officiales adhibeat.

6. Item mandamus eidem Magochio, ut ad retinenda et tuenda jura supradicta et existimationem in ipso episcopatu dicto episcopo Agriensi auxilio sit et protectioni.

7. Annuimus etiam memorato episcopo Antonio Verancio, cum episcopatu nec ipse se abdicet, nec nos eum summovere intendamus, jusque omne episcopi illi integrum manere velimus, uti illi quoque praefectus noster sit juratus, quatenus illum episcopum et patronum loci agnoscet, et si quando id ita jusserimus, illi arcem resignabit, nec contra illius jura quicquam molietur, salvo nobis corporali dominio ad tempus, eundemque honorifice habebit, et ubi erit necesse, tuebitur et proteget.

8. Praeterea annuimus, ut coloni in pertinentiis episcopatus ipsum dominum terrestrem et episcopum agnoscant, modo ne in proventus et servitia arcis se ingerat. Liceat eidem etiam vineas suas colere, quemadmodum ipsemet postulavit, suo sumptu suoque modo, absque arcis detrimento. Si quae porro vineae ab antiquo ad arcem pertinuisse compertae fuerint, eas ad arcem possideri volumus.

9. Et quoniam capitaneus noster ita ut prae-

missum est, ei juramento obstrictus esse debet, rursus etiam ipse episcopus illi administrationem honoris comitatuum, quorum ipse comes est, Hewesiensis et Borsodiensis, committat, uti is ipsius loco ea authoritate fungatur et judicia administret ac jurium ejus possessionariorum procurationem obeat, et quaecunque controversiae ac negotia colonorum inciderint, discernat, juxta id quod idem episcopus se se obtulit facturum, ne multiplici gubernatione status loci perturbetur.

10. Permissum etiam esto episcopo, ut ei liceat de quartis suis statuere, quae jurisdictionem decimarum episcopalium sequuntur. Ita tamen, ut parochis et altaristis et caeteris ecclesiasticis personis, libere eorum quartae relinquantur, ut habeant unde se se sustentent, ne ecclesiae, subtractis beneficiis, parochiz ac ministris destituantur. Ac si quae essent quartae vel vineae ecclesiarum aut altarium, ubi illae parochis aut altaristis vacarent, curam adhibeat dictus episcopus, ut personas idoneas substituat, eisque ejusmodi vineas et quartas atque beneficia ecclesiastica conferat.

11. Quod ad habitationes in arce sitas attinet, volumus dicto episcopo concedi habitationes solitas in arce Agriensi, cum Agriae fuerit, et alia domicilia ejus usibus necessaria. Ita tamen, ut eo absente, praefecto et officialibus eisdem habitationibus et repositoriis uti liceat.

12. Ordinamus super his, ut magister scholae, fiscalis, quattuor capellani praelati, nec non procurator episcopatus, vicecomites duo: Hewesiensis et Borsodiensis, campanator et subcustos de redditibus episcopatus conserventur. Ita tamen, si ab antiquo iis

de proventibus sustentatio est suppeditata, pro veteri ejus ecclesiae consuetudine.

13. Commissum sibi praeterea putet Magochius defensionem episcopi et totius cleri Agriensis per totam dioecesim Agriensem, ac religionis catholicae, juriumque et bonorum possessionariorum ejusdem episcopi et capituli. Edictumque itidem, ne in oppido ipso Agriensi, neve in pagis totius vallis Agriensis villisque Agriae contiguis, in quantum id fieri poterit, concionatores et magistros scholae haereticos teneri, foverique patiatur. Neve statum Agriensem quem receperit, deteriorem faciat, sed potius meliorem reddendum curet.

14. Quia vero postulavit episcopus, ne decimae per dispartitionem progressu temporis ab episcopatu abalienarentur, sciat Magochius, non esse animum nostrum, ut illae aliis atque aliis distribuantur, vel in diversa distrahantur, verum ut ad solutiones et necessitates Agriae conserventur et in posterum juri episcopatus integre conferantur, etiam si pro servitiis per ipsum collatae quibuspiam fuerint decimae aliquae, qui eas pro tempore percipient. Cautum tamen esto, ne per hoc successivis temporibus tamquam haereditario jure ab eisdem usurpentur.

15. Porro, quum certum sit et evidens, arci Saaros, Cassoviae, Zenderew, Zathmar, atque aliis finitimis locis, quae praesidiis nostris tenentur, de commeatu non aliunde, quam ex decimis Agriensibus provideri posse, in hac ipsa praefecturae collatione expresse cautum esse volumus, ut Magochius decimas jam nunc in ingressu ad dictorum praesidiorum locorumque sustentationem atque conservationem necessarias decidat et attribuat. In quo ordinem hunc statuimus: ut

commissarii nostri, cum in rem praesentem venerint, cum ipso agant et concludant de certo numero decimarum propinquarum et maxime opportunarum, quae deinceps singulis annis ad memorata loca percipiantur. Nec quicquam amplius administrator noster successivis temporibus nostro nomine poscere audeat in eorum locorum provisionem, neque se in alias decimas universas et quaslibet ingerere. Verum dictus Magochius habeat plenam et absolutam de reliquis cunctis decimis disponendi facultatem pro suo arbitrio, et violentos occupatores earum arcendi et prohibendi.

16. Ac diserte et signanter illa etiam subsequentia cauta et expressa volumus, ut cum dicto capitaneatu Agriensi vel ipse se abdicare voluerit, vel nobis seu serenissimis liberis nostris istius regni nostri Hungariae regibus eum absolvere clementer visum fuerit, arcem nostram Agriensem victualibus omnis generis, frumento, vino, pabulo, farina, lardis, ovibus atque aliis bene instructam una cum arce Zarwaskew nobis ipsis, aut serenissimo domino Maximiliano, Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi, liberisve et successoribus nostris regni Hungariae regibus, sive hominibus per nos, seu serenissimum dominum regem Maximilianum, liberosve et successores nostros ad id expeditis obedienter resignet tradatque, ut is, qui ei successerit, tanquam in loco et magni momenti et periculis exposito, ejus sustentationi absque defectu aliquo queat respondere. Tormenta itidem bellica, barbatas, pixides, globos, pulverem tormentarium, materiam inflammabilem, sulphur, salnitrum, plumbum, aes, ferrum, vehicula tormentorum, et generatim instrumenta omnia ad artellariam attinen-

tia, honeste commissariis nostris exhibeat, si minus plura quam quae acceperit, saltem eo numero, qui inventario per praesentes commissarios nostros, quos ad ipsum collocandum expedivimus, fuerint ipsi assignata.

17. Ut praeterea in hac nostra arce et oppido ordinarie praesidium quadringentorum equitum et trecentorum peditum alat, ex quibus scilicet equitibus centum et quinquaginta equites sub ejusmet ordine, centum vero sub suo vicegerente sibi adsciscendo existant, reliquis centum et quinquaginta equitibus, tribus aut pluribus aliis viris primariis, gravitateque et militari scientia pollentibus, de quorum fide et integritate non sit dubitandum, distributis. Singulis item centenis peditibus, uno wayvoda idoneo et probatae fidei homine, nec non equitum et peditum cohortibus singulis, tubicinibus, tympanistis, vexilliferis et decurionibus adhibitis, pro more militari adhiberi consuetis. Sub quo quidem ordine atque apparatu, tam equites quam pedites a primordio officii sui, quamdiu in eo manserit, singulis tribus mensibus lustrandos exhibeat commissariis nostris, quibus hujus rei munus pro varietate temporis demandaverimus.

18. Et quia sibi hanc quoque facultatem dare dignati fuimus, quod equites et pedites praescriptos, eorumque capitaneos ipsemet assumere, et qui ei in rebus ad nostri et coronae emolumentum spectantibus non obtemperabunt, vel aliud aliquid delinquent, sive primarii viri, sive gregarii milites illi fuerint, omnes juxta sententiam bonorum et legisperitorum virorum punire et officio etiam rursus amovere possit, dummodo propter quod delictum quemlibet dimiserit, quemque illi substituere velit, nobis qualibet vice

perscripserit. Confisi nimirum quod in perquirendis ac conducendis illis veteranorum servitorum nostrorum rationem sit habiturus, et exclusis quibuslibet ignotis, seu adversae parti adhaerentibus, blasphematoribus et notoriis latronibus, pedites itidem vagantes et errabundos non secus atque secundum publicas proximi conventus Posoniensis constitutiones licebit, Agriae passurus sit. Proinde ut huic quoque articulo satisfaciat, sibi inprimis enitendum erit.

19. Eadem etiam cura et sollicitudine inducias, quas cum principe Turcarum, vel aliis quibusvis adversariis nostris, aut jam inivimus, aut inituri sumus postea, candide observet, et suos, qui eas excesserint, ipse puniat, de alienis vero nobis statuendum relinquat. Si vero Turcae his non consideratis, in ditionem nostram eruperint, militibus nostris insidiandi, vel miseris subditis novas et a die firmatarum induciarum inconsuetas contributiones imponendi gratia, ipse eis resistat omnibus viribus, et hujus rei gratia correspondeat cum reliquis nostris capitaneis, in quacunque regni nostri Hungariae parte constitutis, et rebus ita expostulantibus ipsis suppetias ferat, et eos ab eis vicissim operiatur, ut mutuis ita viribus ditio nostra conservetur, et si aliquando profligati fuerint hostes, ipse levata pro se ejus praedae ad summum tertia parte, reliquis manubiis milites, pro militari in Hungaria diu jam observata consuetudine frui sinat et humaniter eos tractet. Passis tamen, zansakis et begis exceptis, quos, si capientur, nobis omnino reservavimus.

20. Caeterum Agriae fortificationem opera colonorum episcopatus, necnon praelatorum, baronum atque nobilium in qualibet diaeta Agriae decernendorum

absque nimio tamen eorundem gravamine quam studiosissime prosequatur, et principaliora quaeque aedificia imprimis absolvat, in iisque continuandis et absolvendis imitetur semper opiniones belli consiliariorum et aliorum nostrorum architecturae peritorum commissariorum, quos deliberandae hujus rei causa nunc vel in posterum Agriam miserimus. Et quia ejusmodi fabrica, absque paratis pecuniis, quibus lapicidis, carpentariis et his similibus opificibus solvatur, nec non instrumenta fossoria, funes, ferrum, et reliqua materiae conficiantur *), ideo ipse Magochy his usibus eam pecuniarum summam singulis annis suppeditabit, de qua commissarii nostri, ad ejus collocationem expediti, visa aedificiorum absolvendorum qualitate, cum eo convenerint, de his etiam pecuniis singulis annis rationes reddat, et si erit opus, exhibeat, quid quolibet anno exstruxerit, decernendum, num facti labores impensis respondeant.

21. Si etiam in globis, ferro, funibus, instrumentis fossoriis, et hujusmodi rebus obsidionis et fabricae usibus necessariis defectus reperietur, ipse eum resarciat ex proventibus arcis, cum non desit in Scepusio rerum istarum comparandarum copia. Signanter vero salnitrum a Debreceniensibus contributionum suarum loco exigat, et ejus competentem quantitatem in Agria ad belli eventus asservet, et si quid erit residuum, illud nobis ad reliquorum finium nostrorum usus concedat.

22. Ad eventum item obsidionis in arce reponat atque assidue in promtu habeat eam omnis generis victualium copiam, quae justo ejus praesidio, si non

*) Kimaradt: ‚non potest erigi' vagy hasonértelmű szavak.

ultra ad minus tamen sex integros menses sufficiat, et si ea interdum propter vetustatem erunt divendenda, seu recentioribus commutanda, iis temporibus id faciat, quando sibi nullum obsidionis periculum incumbere videbit. De quo quidem periculo si prius edocti fuerimus, ipsum mature certum reddemus, et quae in hoc casu ad Agriae totiusque regni conservationem et incolumitatem spectabunt, haud dubie suscipere dignabimur. Viceversa vero et ipse fidos idoneosque exploratores sibi constituat, ne fortuitis quibuslibet rumoribus nos confundat, seu in novos apparatus et sumptus bellicos praecipitet.

23. Quum denique ordinem super maturo subsidio in hoc obsidionis periculo Agriae ferendo, superioribus annis, nonnullis magnatibus, comitatibusque et civitatibus Agriae propinquioribus praescripseramus, eum et nunc renovare dignati sumus. Mandando singulis illis magnatibus, civitatibusque et comitatibus, ut in hoc periculo singuli designatum numerum in Agriam mittant, ibidemque tam diu relinquant, donec auxiliares copiae nostrae eo pervenerint.

24. Caveat autem Magochius, ne in officium authoritatemque seu administrationem locumtenentis nostri regii se se ingerat, sed sicuti alii capitanei nostri, ita et ipse in omni publica administratione secundum consuetam et nobis illi datam authoritatem eidem locumtenenti pareat atque obediat. Is enim praeter alias ejus praerogativas praeest etiam nostro nomine omnibus tam praelatis quam baronibus et nobilibus ac reliquis regnicolis, habetque facultatem eis legitime mandandi in omni publica regni administratione et defensione, ut secundum constitutionem publicam, quae in articulis diaetarum late patet, gentes suas tam

continuas, ut vocant, quam alias paratas, semper tenere debeant.

25. Et quia manifestum est, Agriam in eum statum devenisse, ut idoneo et sollicito capitaneo semper summopere egeat, ideo ipse continue, signanter vero obsidionis tempore in ea permanere, neque insciis nobis quopiam discedere debebit.

26. Haec igitur fuerunt conditiones, in quas saepe dicto Caspari Magochio capitaneatum memoratae arcis nostrae Agriensis ad beneplacitum nostrum benigne committendum duximus, quas ille absque transgressione observare studebit, et in omni officio et administratione ita se geret, uti bono viro, et capitaneo strenuo et vigilante dignum est, et fidei ejus obligatio requirit; unde majora in eum indies gratiae nostrae imperatoriae monumenta accedant. Et si ei groviora quaedam negotia occurrent, quam quae ingenii sui tenuitate decernere poterit, ea ad nos, seu ad serenissimos liberos nostros, et quos pro varietate temporis supremos capitaneos constituerimus, dirigat; in quibus omnibus expressam voluntatem nostram faciet. Datum Viennae 10. Februarii anno 1564

XL.

Nos Maximilianus Secundus, Dei gratia electus 1567. jun. 2
Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae etc. Recognoscimus per praesentes. Quod nos habentes respectum ad fidelia servitia et merita fidelis nostri reverendi Antonii Verancii episcopi Agriensis ac consiliarii nostri, quae ipse annis superioribus, vivente sacratissima olim majestate caesarea, domino et parente nostro observandissimo, in legatione sua Constantinopolitana nobis et regno nostro Hungariae praestitit: tum etiam, quod hoc quoque tempore iterum ad Turcarum principem Selymum nostro nomine proficisci debebit. Quae legatio cum dubia et incerta, plenaque sit periculis, ut ipse eam alacrius et minori cum cura rei familiaris, nepotumque suorum subire et perferre queat: eundem in eo assecurandum duximus, quod nos fratres nepotesque et consanguineos suos habebimus commendatos, eosque gratia et clementia nostra caesarea et regia prosequemur, et si qui ex eis erunt habiles, et ad beneficia ecclesiastica apti et idonei, nos respectu servitiorum et fidelitatis dicti episcopi, de talibus beneficiis quae vacaverint, et ad quae fratres, nepotes et affines ipsius idonei videbuntur, eis conferendi non erimus immemores, aliisque etiam modis eos clementer et benigne tueri, ac pro ratione promovere, gratiamque nostram illis impartiri non negligemus. Immo assecuramus et certificamus harum nostrarum vigore et

testimonio litterarum. Datum Posonii die vigesima nona mensis Junii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Maximilianus m. p. Nicolaus Olahus Strigoniensis archiepiscopus m. p. Georgius Bochkay m. p.

XLI.

1567. jun. 30. Nos Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod nos debitum habentes respectum ad servitia fidelia et merita fidelis nostri reverendi Antonii Verancii episcopi ecclesiae Agriensis et consiliarii nostri, quae ipse nobis et regno nostro Hungariae, cum alias saepe tum in legatione sua ad Solymanum Turcarum principem praestitit; considerantes etiam id, quod rebus regni nostri Hungariae ita exigentibus, nunc quoque ex commissione nostra ad novum Turcarum principem Selymum oratoris nomine proficisci debeat. Quae legatio cum anceps et periculi plena sit, ei praesertim, qui jam senio gravatus esse videtur: de regiae nostrae potestatis plenitudine id eidem annuendum duximus et concedendum, ut ipse de omnibus rebus et bonis suis mobilibus et immobilibus, per se qualitercunque acquisitis, exceptis tamen rebus et bonis ecclesiasticis, ad eas videlicet ecclesias, quibus nunc praeest, pertinentibus, testamentum rite et legitime condere, et illa sive fratribus sive nepotibus et aliis, quibus voluerit, fidelibus nostris legare et relinquere

possit. Quod ejus testamentum nunc prout ex tunc, et tunc prout ex nunc, authoritate nostra regia benigne confirmandum duximus, promittentes, quod illud tam per nos observabimus, quam per alios quoscunque subditos nostros observari faciemus. Immo annuimus et concedimus approbamusque et confirmamus ac promittimus, harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut rex Hungariae utimur, est appressum, vigore et testimonio litterarum. Datum Posonii ultima die Junii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. Maximilianus m. p. Nicolaus Olahus Strigoniensis archiepiscopus m. p. Georgius Bochkay m. p.

XLII.

Maximilianus etc. Reverende, magnifice, ac egre- 1569. jan. 27.
gii, fideles nobis dilecti. Vehementer urget solutionem reverendus episcopus Agriensis pro suo nobis dato Turca, duorum millium quingentorum florenorum; quam cum vobis nunc aliquoties imposuerimus et ipsum diutius detinere nolimus: vobis benigne mandamus, ut sine ulteriori excusatione praefato episcopo satisfaciatis, pecunia, si in promptu non esset, vel aliunde interea mutuo sumpta; quamvis arbitramur, de ea pecunia, quam in adventum nostrum corradendi mandatum habueratis, tantum reliquum fore, unde praefatam summam Agriensi solvere possitis. Exequemini hoc modo certam et benignam voluntatem nostram. Datae in civitate nostra Vienna, XXVII. die Januarii anno Domini etc. sexagesimo nono, regnorum nostrorum Romani septimo, Hungarici sexto,

Bohemici vero vigesimo. Maximilianus m. p. Ad mandatum domini electi imperatoris proprium. B. Streuchzer (?) m. p, Fieringer. m. p. Hueber. m. p.

Domine perceptor. Reverendissimo domino Antonio Verancio episcopo Agriensi, in satisfactionem mancipii Turcici per sacram caesaream majestatem adempti et chauzio Turcorum imperatoris donati, florenorum nimirum bis millium quingentorum, redde in praesens florenos hungaricales quingentos, accepta ejus sufficienti quietantia. Actum Posonni die vigesima secunda Januarii anno etc. sexagesimo nono. Ex consilio Camerae Hungaricae: Vaciensis m. p. Sigismundus Torda m. p.

XLIII.

1569. apr. 24 Nos Josephus Dominicus de Meldis, Vicentinus, almae universitatis juristarum Patavini gymnasii rector, universis et singulis fidem facimus et attestamur, infrascriptum esse nostrum scholarem descriptum in matricula, et ob id gaudere omnibus et quibuscunque privilegiis scholasticis, et exemptionibus datiarum juxta statutorum nostrorum seriem. In cujus rei fidem has nostras fieri jussimus, sigillique nostri impressione communiri. Datae Patavii, ex officio universitatis die 14. mensis Aprilis 1569. Dominus Faustus Verancius Dalmata, habens cicatricem in fronte. Antonius Villanus notarius universitatis mandato subscripsit.

XLIV.

Reverendo Antonio Verancio, episcopo ecclesiae 1569. jan. 25.
Agriensis et consiliario nostro etc. fideli nobis dilecto.
Posonii. Cito, cito, citissime.

Verancsics kezével: Redditae Posonii 25. Junii 1569.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc.

Reverende, fidelis nobis dilecte. Quemadmodum nuper, ita denuo tibi committimus et mandamus, ut nulla facta excusatione, eorum, quae proxime tibi significavimus, arduorum negotiorum causa, statim ubi has acceperis, huc ad nos festines et secus non feceris. Datum Viennae vigesima quarta die mensis Junii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Maximilianus m. p. Joannes Listhius episcopus Vesprimiensis etc. m. p.

XLV.

1569. Maximilianus etc. Tibi fideli nostro reverendo Antonio Verancio, ecclesiae Agriensis episcopo et consiliario nostro salutem, gratiam nostram caesaream et omne bonum. — Palam est confirmatum, apud priscos sapientes fuisse opinionem: regna, imperia et respublicas justitiae potissimum observatione et bellicae fortitudinis studio conservari, quod haec impetus hostiles longius a patria depelleret, illa disciplinae severitatem complexa, otium, pacem et tranquillitatem domi retineret. Nec dubium est, virtutes has, si externa imperiorum adminicula considerentur, merito principem sibi locum vendicare. At si penitius rem quis introspiciat, et externarum actionum moderatricem rationem consulat, prudentiam inter eas vel maxime dominari, iisque, quae extrinsecus fiunt, imperatricem facile reperiet. Quantumvis enim regna justitiae administratione, studioque armorum polleant, haec tamen nisi prudenter et summo cum judicio tractentur, nullam sane fortunae firmam sibi diuturnitatem polliceri possunt. Unde clarissimos reges atque imperatores ab initio rerum videmus omni diligentia ac sollicitudine eo animum intendisse, omnemque operam ac studium sapientissime in id impendisse, ut viros prudentia et rerum experientia praeditos, diversisque functionum generibus idoneos undique conquirerent, eosque non benigne tantum haberent, sed etiam maximis praemiis, primariisque honoribus et dignitatibus amplificatos apud se retinerent, ex-

perti nimirum et virtutem privatam suis fructibus, languescere, et imperia praestantium hominum penuria orbata facile collabi. Quem sane amplissimorum regum ac principum morem nos quoque pro ingenito nobis ornandae et amplificandae virtutis studio libenter imitamur, et quoad ejus fieri potest, omni liberalitate et favore nostro imperiali cunctis nobis fideliter famulantibus exprimere conamur, maxime vero iis, qui virtutum ornamentis atque insigniis claros natales suos clariores et illustriores contendunt reddere. Quorum in numero tu quidem, Antoni, consiliarie noster dilecte, opportune nobis occurris, quem ob eximiam tuam virtutem, insignemque erga nos et rempublicam fidem, tuaque adeo et majorum tuorum non obscura merita gratum acceptumque habeamus, teque ac caeteros de domo et familia tua haud ignobili propter merita tuae devotionis congruis extollamus honoribus, et specialibus praemiis pro munificientia nostra decoremus. Siquidem, ut imprimis de natalibus tuis non obscuris pauca proferamus, accepimus a testimoniis non obscuris, te ab ipsis vetustissimae gentis Dalmatarum nobilibus originem ducere, patre natus Francisco Veranchyth, viro praestanti et nobili Sibenicensi, cujus majores ex Bosnensi provincia, veteri oriundi familia, quorum prae vetustate nomina quoque recenti memoria repeti vix possunt, dum adhuc eadem provincia christianam religionem amplecteretur, et divis pareret Hungariae regibus, antecessoribus nostris, egregiam semper militiae operam dederunt, suisque principibus non minus fideliter, quam strenue grata impenderunt servitia, qui tandem ob insignes actiones et pleraque egregia facinora a divo quondam rege Ludovico, Magno nuncupato, feliciter ea tempestate

regnante, amplissima praemia promeruerant. Nam et nobilitate cum insignibus trium liliorum, aureo colore fulgentium, de regalibus armis suis depromptorum, et bonis possessionariis non solum in provincia Bosnensi, sed etiam in regno Hungariae munifice donati exstiterint. Verum, postquam Turca in eamdem Bosnae provinciam irrupisset, eamque late sibi subjugasset, universa ejus nationis nobilitate crudeliter exstincta, eotum et haec vestra familia, una cum privilegiis majorum vestrorum intercidisset, excepto quodam ex atavis vestris, nomine Ivanacz, hoc est Joannes, a priscis gentis suae auctoribus, cognomento Wranychyth nuncupato, qui quidem Joannes, Mahometicae professionis foeditatem detestatus, barbaraeque turpitudini ac tyrannidi tempestive cedendum sibi esse ratus, una cum uxore et liberis suis in Croatiam e patria profugit. Sed illuc quoque haud ita multo post Turcarum armis penetrantibus et ferocius vicinas nationes infestantibus, ne in Croatia quoque subsistere ausus est, sed inde in Dalmatiam profectus in civitatem Sibenicum migravit, in qua demum et aedibus et possessionibus comparatis, sedem sibi et familiae suae stabilivit, brevique postea jus gentis et civitatis illius assequutus, in antiqua nobilitate sua confirmatus est, ubi etiam a vulgari et pristino cognomento Vranychyth, primo Wranchyth, postea mutatis nonnihil syllabis, Veranchyth et sibi et familiae suae universae cognomentum mansit. Verum ne avunculorum quoque tuorum encomia silentio praetereamus, (pulchrum est enim laude eos extollere, qui praeclara facinora ediderunt) duos potissimum ex illis in medium producemus: Petrum Berislaum et Joannem Statilium, praestantissimos sane viros, quorum

alter, Petrus nimirum Berislaus, tanta fidei constantia, fortitudine animi et operum magnitudine apud serenissimum quondam dominum Vladislaum regem, affinem et praedecessorem nostrum charissimum felicis memoriae claruit, ut ob egregia studia et virtuosa obsequia, ab eodem serenissimo rege, domino suo, sub unis auspiciis atque uno tempore, pro virtutum et meritorum qualitate, pluribus simul dignitatibus et summis magistratibus, ecclesiasticis pariter et saecularibus ornatus et honoratus exstitit. Ipse enim episcopatui Vesprimiensi, prioratui Auranae, supremaeque totius regni nostri Hungariae quaesturae, nec nec non regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae banatui simul et semel cum summa nominis sui laude praefuit. Quanto autem ille moderamine utrumque munus, spirituale scilicet et temporale gessit: abunde ejus magnifica opera et strenui actus testantur, quos ille ob zelum et defensionem religionis ac reipublicae Christianae contra inimicos crucis Christi, Turcas, multiplici experimento edidit, quoties aperto marte eosdem Turcas forti et imperterrito animo congregiendo, fugit et decollavit, quibus ad postremum semet etiam ad necem impendit: victoribusque suis fortior, gloriosa morte hostes inglorios superavit. Cui demum alter, Joannes nempe Statilius, pari fidei ingeniique praestantia succedens, ad episcopatum Transsylvanicum est evectus, qui et ipse non minus rara se in eo prudentia, quam pietate exercuit. Praeclara sane sunt, quae narrantur originis et gentis tuae decora; sed ut ad te, Antoni Veranci, consiliarie nobis dilecte, sermonem convertamus, non modo tu haec, majorum tuorum aemulus, tibi a puero imitanda duxisti; sed etiam augenda et

retinenda in familia tua proposuisti. Quis vero est, qui in hoc elusus spe opinioneque de te sua sit? ipso naturae raptu majorumque tuorum virtute nonnisi ad res magnas te comitante. Probe siquidem et nos ipsi meminimus, superiori aevo te, in aula regis quondam Joannis constitutum, munere secretarii aliisque non contemnendis officiis summa diligentia aliquamdiu functum esse, teque plurimas et honorificas legationes apud omnes fere primarios Christianitatis principes, nomine ejusdem regis, prudenter gessisse, et prout illius temporis conditio tulit, plurimum tuo domino exinde commodi fideliter reportasse, non obscura jam tum, in ipso aetatis tuae flore, maturescentis et quotidianis in dies auctibus insurgentis virtutis argumenta exhibens. Ob quae tua bene merita, licet non mediocria praemia, ultro tibi oblata, a praefato domino tuo illorum temporum recipere potueris, spreta tamen omni fortuna et dignitate, quamtumvis ampla, qua illic potiri potuisses, maluisti illinc ab aemulis nostris palam, honesta facultate abeundi accepta, recedere, teque recta occasione habita, ad augustissimam domum nostram Austriacam, nullo munere seu curruptela illectus, sed mero zelo et sincera devotione ductus erga serenissimos dominos Austriae, tamquam veros et legitimos regni Hungariae reges, publico omnium scitu, quo magis honori et fidei tuae consuleres, manifeste conferre. Quo sane prudenti et maturo tuo consilio ingens eotum integritatis et sincerae fidei tuae specimen edidisti, dignamque ab omnibus bonis laudem promeruisti; maxime vero a divo parente nostro felicissimae recordationis, sacratissimo quondam imperatore et rege Ferdinando, a quo etiam, postquam in ejus gratiosam notitiam perve-

nisset, tua virtute, ingenio, integritate, et ob praeclaras animi tui dotes, tuas virtutes, grataque obsequia, amplissimis insuper honoribus et dignitatibus brevi spatio temporis, ut merebaris, illustratus es. Primo namque, quum idem parens noster charissimus, ad insignem tuam eruditionem et caeteras virtutes tuas, sacrarum quoque litterarum non vulgarem cognitionem ac doctrinam tibi accessisse animadvertisset, ecclesiasticis te functionibus ornavit: simulque te et episcopum Quinqueecclesiensem, et consiliarium suum, summo totius ordinis consiliarii consensu et approbatione creavit, quo in eo quoque vitae genere, per has praesertim perniciosarum opinionum procellas, ceu fidus gubernator, dignam Deo ovibusque suis operam navares. Verum, invalescente interim hostilitate Turcica, quum post aliquot expeditiones bellicas ac ultro citroque factas dimicationes ad inducias cum principe Turcarum, regnante tunc sultano Solimano, ineundas, res nobis devenisset, eaque de causa oratores a praefata paterna majestate ad illum viri primarii delegandi fuissent: tu potissimum ob excellentem omnium bonarum artium cognitionem ac linguarum peritiam, dicendique oratoriam facultatem, totius Hungaricae nationis voto delectus es, qui cum fidele nostro magnifico Francisco Zay, collega tuo, id provinciae, tametsi magno periculo vitae, non solum intrepide suscepisti, sed etiam alacriter, totos circiter annos quinque continuo inter barbaros vivendo, obivisti; adeoque, Deo et virtute comite summa, cum tua laude ac totius Christianae reipublicae commodo atque salute confecisti. Quae tua honestissima merita ut idem optimus parens noster ampliore munificentia tibi recompensaret, mox in tuo salvo et felici ex le-

gatione Turcica reditu, te ex sede episcopatus Quinqueecclesiensis, cui cum gloria praefuisti, in Agriensem, cujus, secundum archiepiscopatus, in eodem regno nostro prima semper dignitas et amplitudo fuit, transtulit, quo post annorum servitia, vigilias, sudores exhaustos, periculorumque procellas obitas, inclinanti in dies aetati tuae non deesset locus, in quo cum sancto te otio dedere, tum ecclesiae, sponsae filii Dei, erudiendae confirmandaeque invigilare posses. Quanta vero prudentia et dexteritate eam quoque ecclesiam primariam, pluribus hac tempestate periculis et seditionibus, Deo ita permittente, undique circumseptam, per multos jam annos usque ad hoc tempus moderatus sis, nemo est, qui citra injuriam non te merito laudare possit. Verum enimvero ne reliqua quoque eximiarum virtutum et honestissimarum actionum tuarum praeconia sub nube relinquamus, quibus te non solum tuis principibus, sed omnibus fere nationibus Christianis, immo etiam barbaris ipsis clarum et maxime commendatum reddidisti, libet ea etiam officia et obsequia tua dignissima in lucem proferre et posterorum memoriae tradere, quae tu post fatum divi genitoris nostri in plerisque arduis nostris et reipublicae negotiis, adeoque novis et gravibus legationibus confectis, promptissimo ac obsequentissimo animo, erga nos declarasti ac velut jure haereditario a parente in filium transfudisti. Postquam enim idem divus parens noster, vitae suae cursu felicissime peracto, migravit ad superos, hujusque sacri imperii habenas prospere, Dei gratia, ad nostras manus accepimus: ita tum res nostrae tulerunt, ut exstincto in Hungaria apud arcem nostram Zigeth infensissimo nostro hoste, principe Solimano, qui dira rabie universam

ditionem nostram Hungaricam perditum in magnis viribus contra nos irruerat, pro ineunda et confirmanda nova pace cum sultano Zelymo, ejus filio, qui recens paterno successerat imperio, novam et insignem legationem Byzantium mature expediremus. Quumque inter alios fideles nostros virum imprimis dignum, et tanto muneri obeundo idoneum diligenter inquireremus, qui et placare hostem cum dexteritate posset, et conciliare ac confirmare firmam cum barbaris pacem novisset, tu magno omnium de te bene sentientium judicio et laudabili commendatione oblatus es nobis, qui secundario hanc gravissimam provinciam, ad nostram benignam requisitionem, una cum fideli nostro, magnifico Christophoro Teuffenpach, lubens assumeres, nihil aetati tuae, senio, viribusque prope modum confectis parcendo, nihil etiam mille pericula vel ipsam mortem formidando, universos labores, curas et sollicitudines, quae procul dubio magnae et difficiles tibi fuerunt, hujus gravissimae legationis sufferres, et intra ferme breve tempus, octo annorum pacem, uti antea feceras, cum Turca, tua eximia virtute doctaque in rebus gerendis industria conficeres, gratumque nobis et universae reipublicae nuncium et responsum reportares. Nihil enim gratius aut majus praestari nobis a te tum potuit, quam quanto obsequio in subeunda hac difficili legatione clementi voluntati nostrae morem gessisti, qua sollicitudine et vigilantia mandata nostra tractasti, qua dexteritate confecisti, qua denique prudentia et perspicuitate, ad nos reversus, exposuisti. Unde plane judicamus, te non solum majorum tuorum claritudinem tuis virtutibus exaequasse, sed longe etiam superasse, opinionemque de te nostram, dudum conceptam, studio et

industria tua mirifice comprobasse et confirmasse. Dignum itaque te, Antoni Veranci, omni laude censemus, digna longa memoria acta tua judicamus, qui tam insignibus legationibus bis inter totius orbis monarchas, duo potentissimorum imperatorum paria, gravissimus orator adhibitus, cuncta ad turbas et ad ruinam tendentia, studio, facundia et opera tua non minus prudenter quam viriliter compressisti, et ad tranquillitatis pacisque statum perduxisti. Dignus plane etiam, qui pro tantis meritis tuis ab inclita domo nostra Austriaca, cui te totum ab annis jam 20 perpetua fidelitatis constantia addixisti, perpetua gratia et munificentia fovearis; a patria vero, cujus pacis toties auctor exstitisti, omnia grata promerearis. Ut igitur imprimis a nobis amplissimorum meritorum tuorum aliquam gratitudinis vicem percipias, donec te uberiori gratia nostra, quae tibi nunquam est defutura, ornare et cumulare possimus, quo non apud te solum, sed etiam apud universam familiam et gentem tuam nostri erga te favoris exstet testimonium, ac tui quoque nominis et virtutum memoria apud omnem posteritatem tuam longe innotescat et celebretur: nos ex singulari nostra gratia et spontanea quadam animi nostri inductione arma seu insignia vestra gentilitia, superius declarata, meraeque nobilitatis vestrae jura et privilegia, quae longo jam aevo, quandocunque tuis majoribus deperdita esse dinoscuntur, tibi Antonio Verancio ac per te egregiis Michaeli et Petro, fratribus germanis, ac nepotibus tuis, omnibus et singulis, eorundem liberis et posteris universis, legitime natis et nascituris, reparanda, renovanda et ex abundantia nostrae in te gratiae amplificanda et confirmanda decrevimus.

Immo quatenus opus est, authoritate nostra imperatoria et regia, qua ut imperator et rex Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. divina clementia praediti sumus, nova nobilitate donamus, et per novam donationem conferimus omnia illa avitae et germanae nobilitatis tuae ornamenta, privilegia, libertates, immunitates et jura, quae a dictis majoribus et progenitoribus tuis accepisti, quibusque alii nostri et sacri imperii Romani, Hungariae, Bohemiae, aliorumque regnorum nostrorum, a quatuor avis paternis et maternis procreati veri nobiles utuntur, fruuntur et gaudent. Talesque nobiles vos ab universis et singulis hominibus atque subditis, cujuscunque conditionis, eminentis status, gradus et dignitatis existant, perpetuo dici, nominari et haberi volumus. Quo vero haec tua, domusque tuae decora illustriora et nonmodo in animis sed etiam in oculis hominum conspectiora sint, concedimus et largimur vobis insignia haec nobilitaria, videlicet: scutum erectum, quinque habens areolas seu columnas, aureo et caesio colore distinctas, per obliquum a superiori latere dextro ad inferius sinistrum recto diametro perductas et figura quadrangulari inclusas. In duabus intermediis caesiis areolis superne et inferne terna lilia aurea recto ordine ascendunt, naturalibus suis floribus illuminata. Quibus partim prisca vestra insignia, partim noviter a nobis aucta et concessa pulchre denotantur. Media et ultimae utrinque areolae nudae sunt, solis laciniis aureis tortuosis variegatae. Supra scutum autem posita est galea, aurea corona regia redimita, et ea, quae faciei objicitur, parte, cancellata ac clatrata, quam torneamentalem vocant, teniis aureo et caesio colore distin-

ctis, ab ipso con..*) utrinque laciniatim defluentibus. Ex corona prominet crista, similiter duae areolae transversae per... ternis liliis, a prioribus nulla in parte discrepantibus, depictae conspiciuntur. Quemadmodum eadem omnia in capite hujus nostrae paginae docta pictoris manu clarius sunt figurata. Hoc vero monumentum, quia propemodum summarium est originis, vitae et virtutum tuarum, quibus tu antiquum tuae familiae stemma mirifice decorasti et auxisti, nonmodo gloriosum sed etiam utile fore posteris tuis judicavimus, ut in hoc, ceu in domesticum exemplar crebrius intueantur, et virtutis tuae recordatione ad ejus imitationem excitentur. Verum, Antoni, consiliarie noster dilecte, quia hoc imperiale ac regale munus nostrum te prae caeteris petens, in se continere videtur mysterium, ideo hoc tibi non in vanum cognoscas esse collatum. Lilium quippe flos regius appellatur, a regia, qua praestat caeteris floribus, eminenti sua celsitudine, odorisque fragrantia singulari denominatus, rarum quoddam castae et sincerae fidei, augustaeque spei et fructuosae charitatis symbolum in se repraesentans. Color siquidem aureus... tuberantia... doris sui caeteris coloribus praestans, candidae et sincerae fidei tuae formam nobilissime designat. Florum autem sane omnium praerogativa, ut nos bene sperare jubeant, unus tamen praecipuus, nempe lilium hieroglyphici hujus primas tenet. Hinc in antiquorum monumentis et signis clarorum hominum cum inscriptione spei lilii figura exprimebatur. Porro, quia floribus inspectis, usum inde fructuum sperare solemus, nulli dubium, quin flos sit futuri boni praenuncius, et frugem paulo post succrescentem polliceatur, quemad-

*) A papiros széle leszaggatva.

modum post fidem et spem charitas abunde suos producit fructus.

Non inepte itaque hoc hieroglyphicon liliorum aureorum tuae nobilitatis insignia refert, virtutumque tuarum specimen clare repraesentat, quas jam olim vigere et florere in se uberrimis fructibus agnovimus; quo sane nomine et tibi laudem immortalem, et familiae tuae amplissimum et perquam illustre decus ornamentumque peperisti. Quamobrem pro authoritate nostra tanquam Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. imperator et rex, statuimus et decernimus, ut haec verae nobilitatis tuae insignia, instar praemissorum regnorum nostrorum verorum nobilium, perpetuo ubivis gentium in omnibus actionibus, expeditionibus, seriisque vel ludicris certaminibus, in praeliis, monomachiis et quibuscunque aliis pugnis, in vexillis, tentoriis, cortinis, scutis, sigillis, annulis, vasis, instrumentis, monumentis, statuis, tabulis, picturis, aedificiis et quibusvis militaribus exercitiis ac aliis rebus ferre et gestare tu, Antoni Veranci, possis et valeas, praefatique tu, fratres et nepotes, tuaque et ipsorum universa posteritas possint et valeant, nemine unquam prohibente, nec obstantibus quibuscunque consuetudinibus, statutis ac privilegiis praedictorum et aliorum regnorum nostrorum, praesentibus et futuris, quae quoquomodo contra hanc nostram concessionem facere possent, quibus omnibus ex certa nostra scientia et animo deliberato per has nostras litteras derogamus et derogatum esse volumus. Nulli ergo hominum liceat hanc nostrae gratiae et concessionis paginam infringere, aut ei ausu quovis temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, nostram et Imperii Sacri gravissimam indignationem se noverit

ipso facto incursurum. Immo confirmamus, donamus, statuimus et decrevimus harum nostrarum, chirographo nostro et duplici ac authentico sigillo nostro munitarum vigore et testimonio litterarum. Datum etc.

XLVI.

1569. oct. 17. Nos Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae etc. marchio Moraviae, comes Tyrolis, etc. etc.

Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis. Quod quum diligenti cogitatione in animo revolveremus inter alia, quae culmini nostro imperiali, dignitatique regiae varia incumbunt munia, praecipuum esse, quod honorem, cultumque concernit divinum, ipsaque Dei Optimi Maximi majestas, nonnisi fide et religione, quam sancta profitetur et docet ecclesia, coli venerarique soleat, et possit: cum primis elaborandum nobis judicavimus, ut in regnis et provinciis, adeoque universo nostri imperii circulo, Dei benignitate nostro regimini, jurique tradito, ecclesiae Dei piis et idoneis gubernatoribus atque ministris, tanquam cultus ipsius divini necessariis instrumentis, quovis tempore habeantur rite provisae. Vacante itaque in praesentiarum metropolitana et primaria regni nostri Hungariae ecclesia Strigoniensi, legitimoque pastore orbata, haud differre voluimus, quin illi de idoneo praelato et rectore quamprimum prospiceremus. Et propterea debitum haben-

tes respectum ad praeclaram eruditionem et doctrinam, vitaeque et morum integritatem fidelis nostri, nobis dilecti, reverendi Antonii Verancii, episcopi Agriensis et consiliarii nostri, quibus ipsum munere divino ornatum ab annis non paucis propria nostra experientia comperimus; confisi etiam de solerti et attentissima cura atque sollicitudine, quam ipse in administranda hac ecclesia, tuendaque et propaganda vera fide et religione, more boni pastoris et praelati summo conatu adhibiturus sit; non immemores denique haud vulgarium illius meritorum, quibus sese quondam divo genitori nostro et nobis quoque commendatum reddidit, eundem ab episcopatu ecclesiae suae Agriensis ad archiepiscopatum ecclesiae metropolitanae Strigoniensis, nunc per mortem et decessum revendissimi quondam domini Nicolai Olahi, ejusdem archiepiscopatus ultimi, veri et legitimi possessoris de jure et de facto vacantem, transferendum, nominandum et praesentandum, ac eundem archiepiscopatum Strigoniensem eidem auctoritate juris patronatus nostri regii, quod in omnibus dicti nostri Hungariae regni ecclesiis, et beneficiis ecclesiasticis more divorum quondam Hungariae regum, praedecessorum nostrorum felicis memoriae, optimo jure habemus, simul cum omnibus castris, castellis, civitatibus, oppidis, villis, possessionibus, praediis, ac aliis cunctis pertinentiis et juribus possessionariis, ubivis, et in quibuscunque regni nostri Hungariae et partium subjectarum comitatibus existentibus habitis, ad eundem archiepiscopatum Strigoniensem de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, pariter cum omnibus ejusdem juribus, libertatibus, praerogativis, proventibus et aliis quibusvis emolumentis, quovis no-

minis vocabulo vocitatis, dandum et conferendum,*)immo transferimus, nominamus et praesentamus, damusque et conferimus praesentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris honorabilibus praeposito, vicario, lectori, cantori, custodi, caeterisque canonicis et beneficiatis tam dictae ecclesiae Strigoniensis, quam aliarum collegiatarum ecclesiarum ad eandem pertinentium, harum serie committimus et mandamus, quatenus a modo imposterum praefatum Antonium Verancium pro vestro legitimo et indubitato archiepiscopo habere, tenere et recognoscere, eidem debitam reverentiam, honorem et obedientiam praestare, ac in omnibus negotiis et consuetis rebus jurisdictioni ipsius parere et obtemperare modis omnibus debeatis et teneamini, secus non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in arce nostra regia Posoniensi decima septima die mensis Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, regnorum nostrorum Romani et Hungariae septimo, Bohemiae vero vigesimo primo. Maximilianus imperator. Joannes Listhius, episcopus Vesprimiensis.

*) Kimaradt, úgy látszik: „duximus".

XLVII.

Nos Maximilianus Secundus, Dei gratia electus 1569. oct. 17
Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae, etc. marchio Moraviae, comes Tyrolis, etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis. Quod nos debitum habentes respectum ad praeclaram eruditionem et doctrinam, aliasque animi dotes, ac circa ecclesias Dei, et eligendos earum ministros diligentem curam fidelis nostri reverendissimi in Christo patris, domini Antonii Verancii, archiepiscopi ecclesiae Strigoniensis, primatis Hungariae, legati nati, summi et secretarii cancellarii et consiliarii nostri, quibus ipsum divino munere praeditum, non alieno saltem testimonio, verum etiam propria nostra experientia cognovimus: jus patronatus nostrum regium, quod in eadem ecclesia Strigoniensi, aliisque collegiatis ecclesiis ad eamdem pertinentibus, sicut in caeteris regni nostri Hungariae ecclesiis, instar praedecessorum nostrorum, divorum quondam Hungariae regum felicis memoriae, optimo jure habere dinoscimur, ex certa nostra scientia, animoque deliberato, eidem domino Antonio Verancio, archiepiscopo, dandum et conferendum, immo damus et conferimus, ac in illum transferimus praesentium per vigorem: annuentes et concedentes, ut ipse omnia beneficia ecclesiastica, utputa: praeposituras, lectoratum, cantoratum, custodiatum,

canonicatus et praebendas, quae a modo deinceps tam in dicta Strigoniensi, quam aliis collegiatis ecclesiis, ad illam pertinentibus, quocunque nomine et titulo legitime vacare contigerit, dicti juris nostri regii auctoritate per nos sibi hic in parte concessa, personis idoneis et benemeritis, ecclesiasticaque functione dignis, fide praeterea, vita, moribus et honesta conversatione, eruditioneque commendatis, Hungaris tamen et non alienigenis, dare et conferre, ipsisque de eisdem disponere, ordinare et providere valeat atque possit; immo damus et conferimus harum nostrarum vigore et testimonio litterarum. Datum in arce nostra regia Posoniensi decima septima die mensis Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, regnorum nostrorum Romani et Hungariae septimo, Bohemiae vero vigesimo primo. Maximilianus imperator. Joannes Listhius, episcopus Vesprienmisis.

XLVIII.

1570. jan. 12. Beatissime in Christo pater, domine reverendissime. Post officiosam commendationem filialis observantiae continuum incrementum. Arbitramur sanctitati vestrae jam antea innotuisse, metropolitanam in regno nostro Hungariae ecclesiam Strigoniensem, sublato e vivis, abhinc fere biennio, ejusdem ultimo archiepiscopo Nicolao Olaho, mansisse hucusque legitimo gubernatore destitutam. Non itaque diutius differendum arbitrati, quin pro ea, qua erga religionem, ipsamque Dei ecclesiam et ejus profectum quovis tempore libenter sumus, cura pariter et observantia, quam-

primum de idonea cogitaremus persona, quam ad hoc muneris pastoralis, quod inter alia dicto in regno nostro primum est et praecipuum, digne nominemus: inter alios quidem ejusdem regni nostri praelatos, virosque ecclesiasticos praecipuus sese nobis obtulit Antonius Verancius episcopus Agriensis, de cujus non vulgari eruditione et doctrina, morum item et vitae integritate, magnaque in Deum et religionem pietate sufficienter edocti, ab ecclesia sua Agriensi, cui hactenus praefuit, ad dictam metropolitanam Strigoniensem, solita et vetusta juris patronatus nostri authoritate, quam in conferendis omnibus ejusdem regni nostri praelaturis instar praedecessorum nostrorum, divorum quondam Hungariae regum habemus, transferendum, ipsumque archiepiscopatum Strigoniensem illi pleno jure conferendum duximus. Quod quidem quum a nobis ita factum sit, eum sanctitati vestrae de more praesentamus, ab eadem obsequiose petentes, velit ipsum in dicta ecclesia sua Strigoniensi benigne confirmare, ac etiam pallium, quo sui antecessores semper usi sunt, cum aliis solitis archiepiscopatus insigniis ei, ut moris est, paterne concedere. Et quoniam eadem ecclesia ab annis jam non paucis, prout sanctitatem vestram non ignorare scimus, in illa universali pene totius regni nostri clade, in bonis et proventibus suis temporalibus, cum ipsa sede archiepiscopali, a jugo et tyrannide Turcica partim occupata, partim vero in residua sui parte indies gravissime habetur afflicta et oppressa: ea sane ipsi archiepiscopo incumbunt onera, sumptus et impensae in illa, quae adhuc ab infidelium Turcarum immanitate reliqua est, ecclesiae suae parte tutanda, militibusque in hunc usum cum arce finitima non parvo numero continue

alendis, ut ad sustentandum statum et dignitatem suam archiepiscopalem vix et difficulter quid ei supersit. Unde praeterire non potuimus, quin sanctitatem vestram diligenter rogemus, ut quum archiepiscopus ipse non ignoret, qua solutione annatae, sanctae huic sedi pro accepta confirmatione ipsoque pallio de more debeat, idque haud gravatim, si vires et facultas suppeterent, etiam praestare cuperet: velit sanctitas vestra pro sua pietate, qua oppressarum ab infidelibus paganis ecclesiarum rationem habere, earumque misereri consuevit, petitam confirmationem et pallium gratis et absque alicujus annatae solutione eidem archiepiscopo benigne impertiri et concedere, quo sumptus illos suos graves, hac clementi sanctitatis vestrae relaxatione sentiat sibi aliquanto tolerabiliores, eoque alacrius non minus curandae gubernandaeque, omni quo potest diligentiori studio atque sollicitudine, ecclesiae ipsi suae, quam tutandis pauculis archiepiscopatus reliquiis incumbat. Qua quidem in re sanctitas vestra nobis quoque gratum faciet, omni erga eandem filiali observantia nostra promerendum. Cui nos reverenter offerimus et obsequiose commendamus. Datum in arce nostra regia Pragensi 12. Januarii 1570. regnorum etc.

Ad summum pontificem etc. (Maximilianus etc.)

XLIX.

Maximilianus etc. Supplicatum nobis fuit per re- 1570. jan. 24.
verendissimum devotum, fidelem nobis dilectum, noviter electum archiepiscopum Strigoniensem, ut, cum(?) eorum, quae ad apprehendendam dicti archiepiscopatus possessionem et sui pro dignitate intertentionem requirere viderentur, clementer prospectum iri velimus. Habita itaque ratione demissarum precum dicti archiepiscopi, benigne indulsimus, harum nostrarum litterarum vigore, ut traditio possessionis archiepiscopatus, per certos nostros commissarios, per nos deputatos fieret, ita tamen, ut possessio a prima die hujus praesentis anni 1570. tradita esse intelligatur. Ad hanc autem consequendam ipsi litteras has adjectas donationales, item mandata ad capitulum et officiales, necnon praefectos tum arcis, tum militum Wywariensium, et ad omnes subditos, dicto archiepiscopatui subjectos, quo eum in omnibus admittant, pareant et obsequentes sint, expediri curavimus. Porro, ut se pro dignitate intertenere queat, concessimus praedicto archiepiscopo cum reliquos archiepiscopatus proventus, tum vero dictam arcem Wywariensem cum omnibus pertinentiis et emolumentis; hac tamen ratione, ut pensio episcopatus Agriensis sibi deinceps cesset. Ac si pisetum, quod ei liberum erit, servare voluerit, nobis sex millia florenorum hungaricalium annuatim, certo loco deputato,*) unde omni trimestri,

*) A másoló, úgy látszik, kihagyott valamit.

quantum pro rata competet, in camera nostra assignet; aut vero pisetum nobis relinquat. Nam etiamsi apud nos humiliter institerit, ut relicto sibi piseto, tria ad summum aut quatuor millia florenorum nobis singulis annis ejus nomine numeraret, tamen in ipsa potissimum persistimus sententia, ut illi liberum sit, utrum velit, eligere. Deinde, ut arcem praedictam Wywariensem munire et praesidium militare ibidem sustentare teneatur et obligetur. Antequam autem traditio litterarum donationalium et mandatorum nostrorum fiat, volumus, ut litterae reversales, quas memoratus archiepiscopus nobis dare tenebitur, isthic per nos, clausulis et articulis supramemoratis insertis conficiantur. Quamobrem vobis firmiter praecipimus, ut primo quoque tempore jam dictas reversales conficiatis, commissar'osque deputetis, instructionemque in eos formetis, omnibus punctis et articulis ita dilucide explicatis, ne quid, quod ex usu nostro fieri queat, praetermittatur, nobisque deinceps ad plenam expeditionem transmitti curetis. Satisfiet hac in re benignae ac certae voluntati nostrae. Datae Pragae die 24. Januarii anno etc. 1570.

Camerae Hungaricae.

L.

Maximilianus etc. Etsi vobis 24. die jam ela- 1570. jan. 28
bentis mensis benigne perscripserimus, quemadmodum vos tenere in tradenda possessione reverendissimo devoto, fideli nobis dilecto, archiepiscopo Strigoniensi, archiepiscopatus sui velimus: tamen cum in illo nostro mandato emissum fuerit, nos ei proventus quoque anni praeteriti Wywarienses in sustentationem militum praesidiariorum ibidem existentium benigne concessisse: hoc vobis his litteris nostris significandum esse duximus. Deinde, etiam si traditio archiepiscopatus a calendis Januarii initium sortietur, tamen, ut pensio Agriensis illi usque ad primam diem Februarii cedat. Quum itaque ista nostra gratiosa mens ac voluntas fuerit, nosque ipsius in utrisque rationem habere velimus: ideo vobis firmiter praecipimus mandantes, ut nostram gratiosam concessionem praedicto modo executioni demandari curetis atque efficiatis, satisfacturi hac in re benignae menti ac certae voluntati nostrae. Datae Pragae 28. Januarii anno etc. LXX.

Camerae Hungaricae.

LI.

1570. febr. 1. Maximilianus etc. Reddimus vos certiores, cum nobis nomine reverendissimi devoti, fidelis nobis dilecti, archiepiscopi Strigoniensis per suos ablegatos ad nos familiares supplicatum fuisset: ut hero suo principium et diem solvendae pensionis sex millium hungaricalium piseti nomine, qua illi possessio archiepiscopatus traderetur, generose constituere dignaremur. Item, ut omnes proventus a calendis Januarii mensis proxime praeteriti ex ipso archiepiscopatu percepti cedere debeant. Denique ut officiales de proventibus eorundem ex ea die certam ac liquidam rationem reddere teneantur. Nos ad dictorum familiarium archiepiscopi praeattacta humillima postulata benigne annuimus. Quapropter vobis firmiter praecipimus mandantes, ut etiam in praemissis postulatis praelibati archiepiscopi, nostro nomine rationem habeatis et effici curetis. Exequuturi hac in re benignam mentem, ac certam et expressam voluntatem nostram. Datae Pragae 1. Februarii 1570.

Camerae Hungaricae.

LII.

Reverendissimo in Christo patri, domino Anto- 1570 mart. 31.
nio Verancio, archiepiscopo ecclesiae Strigoniensis, primati Hungariae, legato nato, summo et secretario per Hungariam cancellario nostro etc. fideli nobis dilecto. Posonii. Cito, cito, cito, cito.

Verancsics kezével: Redditae Posonii, 7. Aprilis 1570.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex.

Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Ea, quae in commendationem cujusdam Georgii Fabii, Dalmatae, nuper ad nos scripsistis, ex litteris vestris cognovimus, et simul etiam illa, quae serenissimus rex Poloniae pro eodem pluribus apud vos per litteras suas egit,) intelleximus. Quamvis autem serenissimo ipsi regi, suisque postulatis quovis tempore propensi simus ad gratificandum, ipsumque hac etiam vice haud libenter intermitteremus: quum tamen hominis illius persona nobis ita sit cognita, ut gratiam nostram minime mereri videatur, certis de causis serenitati suae hac in re complacere non possumus, praesertim quum et alioquin homo ille extra ditionem nostram hucusque vagatus, non satis sciamus, quare nunc demum nostram quaerat gratiam, qua cum pluribus jam annis carere voluit, ca-

*) Zsigmond Ágost lengyel király illető levelét Verancsics munkáinak egyik későbbi kötete fogja hozni.

rere etiam imposterum poterit. Quantum itaque ad illum, hoc vobis clementer respondere voluimus.

Caeterum cum his praeteritis diebus praecipua quaedam beneficia in ecclesia vestra Strigoniensi vacare contigerit, et vacatura sint etiam imposterum, admonere vos clementer voluimus, ut conditionis, quam litteris donationis juris patronatus nostri inseruimus, memores sitis, atque in collatione talium beneficiorum ita agatis, ne peregrinos aliquos homines, sive Italos, sive Dalmatas, Venetis subditos, ad illa promoveatis, sed Hungaris, aliisque coronae nostrae, Hungaricae subjectis ea conferatis: ut et regnicolis praecidatur ansa propterea conquerendi, et capitulum ipsum vestrum absque turbis in quiete maneat. Secus non facturi. Datum in arce nostra regia Pragensi, ultima die mensis Martii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo. Maximilianus m. p. Joannes Listhius episcopus Vesprimiensis etc. m. p.

LIII.

Reverendissimo in Christo patri, domino Anto- 1570. apr. 15.
nio Verancio, electo archiepiscopo ecclesiae metropolitanae Strigoniensis, locique ejusdem et comitatus Honthensis comiti perpetuo, primati Hungariae, sedis apostolicae legato nato, summo secretario, cancellario et consiliario nostro etc. fideli sincere nobis dilecto.

Verancsics kezével: Redditae Posonii 17. Aprilis 1570.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus etc.

Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis dilecte. Cum ad festum ascensionis Domini proxime venturum desponsationis actum loco et nomine serenissimi principis, domini Philippi Hispaniarum regis catholici, etc. per serenissimum Carolum, archiducem Austriae, fratrem et principem nostrum charissimum, vigore mandati procuratorii a serenitate sua accepti, cum serenissima principissa Anna, filia nostra dilectissima peragendum, celebrare constituerimus, ac desponsationem hujusmodi devotionis tuae, tanquam inclyti nostri regni Hungariae primatis, adeoque primi in regnis ac provinciis nostris haereditariis praelati manu fieri cupiamus et velimus, devotionem tuam benigne hortamur et requirimus, ut, acceptis his nostris litteris, protinus, ac ea quidem celeritate se huc conferat, quo ad minimum biduo ante hic adesse, ac de iis caeremoniis et solennitatibus, quae ad actum hunc pertinebunt, cum devotione

tua conferri possit. Sin vero devotio tua adversa forte valetudine (quod sane haud libenter intellecturi essemus) distineatur, ita, ut hanc profectionem suscipere omni nonequeat, tunc nos ejus quam primum, per veredarium, ea de re expresse ad nos ablegandum, certiores reddat. Factura in eo devotio tua rem nobis longe gratissimam, ac regia benignitate nostra quavis occasione compensandam. Datum in arce nostra regia Pragae, die decima quinta mensis Aprilis anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, regnorum nostrorum, Romani octavo, Hungarici septimo, Bohemici vero vigesimo secundo. Maximilianus m. p. Ad mandatum sacrae caesareae majestatis proprium Bernburger m. p.

LIV.

Nos Antonius Verancius, divina miseratione ele- 1870. apr. 24.
ctus archiepiscopus ecclesiae metropolitanae Strigoniensis, primas regni Hungariae, legatus natus, summus secretarius, cancellarius ac consiliarius sacrae caesareae regiaeque majestatis etc. Fatemur et recognoscimus per praesentes litteras nostras. Quod cum praefata sacra caesarea majestas, dominus noster clementissimus, ex innata ac plane paterna sua pietate et gratia speciali, qua omnes fideles suos amplectitur, nobis praedictum archiepiscopatum Strigoniensem per mortem et decessum quondam reverendissimi domini Nicolai Olahi, ejusdem archiepiscopatus ultimi veri et legitimi possessoris, de jure et de facto vacantem, authoritate juris patronatus sui regii, quod in omnibus dicti regni Hungariae ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis, more divorum olim Hungariae regum, praedecessorum suorum felicis memoriae optimo jure habet, simul cum cunctis caeteris castellis, civitatibus, oppidis, villis, possessionibus, praediis et aliis cunctis pertinentiis et juribus possessionariis, ubivis et in quibuscunque regni Hungariae et partium ei subjectarum existentibus, habitis, ad eundem archiepiscopatum Strigoniensem de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, pariter cum omnibus juribus ejusdem, libertatibus, praerogativis, proventibus et aliis quibuscunque emolumentis, vigore litterarum suarum donationalium clementer conferre dignata sit, ejusdemque archiepiscopatus

possessionem nobis a prima die praesentis anni septuagesimi traditam esse voluerit, proventus quoque anni praeteriti ad arcem Wywar juxta limitationem et deputationem praefati olim domini Nicolai Olahi, praedecessoris nostri pertinentes in sustentationem militum praesidiariorum ibidem existentium clementer concesserit, tamen ut pensio nostra ratione episcopatus Agriensis nobis saltem usque ad primam Februarii anni praesentis cedat. Quum praeterea cum majestate sua ita convenerimus, ut ejus majestati singulis annis sex millia florenorum hungaricalium pensionem, piseti nomine, omni trimestri spatio, quantum pro rata parte competit, in cameram suae majestatis hungaricam assignemus, initio a prima die Aprilis anni praesentis sumpto.

Promittimus igitur praesentibus litteris nostris, atque nos obligamus, quod praescriptam sex millium florenorum hungaricalium summam ejus majestati praedicto tempore in dictam cameram hungaricam certo et absque ullo defectu persolvemus obedienter et fideliter; quod si facere neglexerimus, liceat majestati suae hanc summam, vel ex piseto nostro vel ex decimis nostris comitatus Posoniensis de facto excipere. Recipimus quoque, nos arcem nostram praedictam Wywar aedificiis, munitionibus, commeatuque necessario et sufficienti instructam esse curaturos, eundemque militum numerum tam equitum quam peditum, qui hactenus in dicta arce interteutus est, videlicet equites ducentos quinquaginta et pedites ducentos, tempore induciarum, pacis, et ab hostium excursionibus quieto intertenturos. Si vero contingeret, ut ipsa arx Wywariensis obsideretur, vel saltem suspicio obsidionis ejus immineret, sacra majestas

sua imperatoria, uti clementer sese obtulit, tempestive eidem Wywariensi arci de majori praesidio, tantaeque potentiae hostili pari ad resistendum providere dignabitur, nobis alioqui non deficientibus ad ea suppeditanda auxilia, quae ex facultate nostra ultra ordinarium fieri poterunt. In ejusmodi autem necessitate adminimum ducentis militibus praesidium de nostro augebimus, veteranos vero milites, qui jam in ea arce Wywariensi diu militarunt, omnes quicunque in officio et intra conditionis suae terminos praestiterint, eruntque nobis et praefatae arci nostrae Wywariensi utiles, obedientes et fideles, juxta sua juramenta, quae sunt nobis in assumptione illorum praestaturi, haud quaquam loco atque servitio suo movebimus, qui contrarie sese gezserint, nostrum erit, ut quemadmodum de aliis securitatibus, ita etiam de ista militari eidem arci consulamus. Ita tamen ut veteranos milites, qui nobiles sunt, sine praescitu suae majestatis non exautoremus, non defuturi ullo tempore, ut de stipendiis suis iidem milites reddantur contenti; ii autem omnes et praefecti et milites tam moderni, quam qui in futurum per nos constituendi erunt, volumus, ut nunc et in casu mortis nostrae, sacrae suae imperatoriae et regiae majestati, ejusque legitimis successoribus, Hungariae regibus ejusdem fidelitatis juramento sint obstricti atque obligati. Decimas denique nostras, quas nos arendare voluerimus, ejus majestati juxta conditiones publicas prae aliis solita arenda concedemus. Ad quae quidem praemissa omnia et singula firmiter et inviolabiliter observanda nos ad puritatem conscientiae nostrae obligamus atque obligatos esse volumus, harum nostrarum manus propriae subscriptione et sigilli nostri appressione

vigore et testimonio litterarum mediante. Datae in civitate Posoniensi, vigesima quarta die mensis Aprilis anno etc. septuagesimo. Idem electus Strigoniensis manu propria.

Collata cum originalibus.

LV.

Reverendissimo in Christo patri, domino Anto- 1570. maj 21.
nio Verancio, archiepiscopo ecclesiae Strigoniensis, primati Hungariae, legato nato, summo et secretario per Hungariam cancellario et consiliario nostro etc. fideli nobis sincere dilecto. Tirnaviae. Cito, cito, citissime, cito, cito, cito.

Maximilianus Secundus, Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. rex etc.

Reverendissime in Christo pater, fidelis nobis sincere dilecte. Quum sicuti aliis ex litteris nostris vos cognovisse putamus, serenissimum principem dominum Carolum, archiducem Austriae etc. fratrem nostrum charissimum, in nostra hac absentia, vice et loco nostro, Viennae reliquerimus, ut ibi rebus regni nostri Hungariae fideliumque subditorum nostrorum attendat, nostroque nomine sedulo cum omni sollicitudine eas procuret: necessarium autem sit, ut aliquos ex fidelibus consiliariis nostris Hungaris, quorum consilio et opera in his utatur, continue secum habeat; praeter duos autem praelatos, episcopos Quinqueecclesiensem et Tininiensem, qui residere possit nullus sit, et hi quoque, quod nullis adhuc consiliis interfuerint, rerum tractandarum adhuc imperiti: commisimus Quinqueecclesiensi, ut statim se Viennam conferat, ibique resideat; expleto autem mense, Tininiensis illi succedat. Quare fidelitati vestrae committimus et mandamus, ut ubi has nostras

acceperitis, Viennam ad dictum fratrem nostrum vos conferre, ibique per spatium duorum mensium residere debeatis, ut vobis praesentibus, dicti consiliarii novicii modum consilii et rerum agendarum addiscant. Quodsi forte majoris alicujus momenti nostra vel publica negotia cum tempore occurrerent, propter quae omnes simul consiliarii vocandi forent, tunc quoque venire non negligatis. Mandavimus etiam camerae nostrae, ut vobis de expensis diurnis, more antea solito, providere non omittant. Secus non facturi. Datum in arce nostra regia Pragensi, vigesima prima die mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo. Maximilianus m. p. Joannes Listhius episcopus Vesprimiensis etc. m. p.

TARTALOM.

	Lap.
Előszó.	
I. Trautson Jánosnak Musztafa budai pasa. Buda, június 4-én 1567.	1
II. Zay Ferenczuek Verancsics Antal. Bécs, jún. 12. 1567.	2
III. Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián császár. Pozsony, jún. 17-én 1567.	3
IV. Ugyanazoknak ugyanaz. Pozsony, jún. 23-án 1567.	4
V. Maximilián megbizó levele Verancsics, Wyss és Teuffenpach számára. Pozsony, jún. 23-án 1567.	8
VI. Maximilián utasítása ugyanazok számára. Pozsony, jún. 25-én 1567.	11
VII. A Konstantinápolyba menendő ajándékok lajstroma.	49
VIII. Pénz, ezüstkupák és órák lajstroma.	51
IX. A felebbiek más lajstroma. Pozsony, jún. 28-án 1567.	54
X. Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián. Pozsony, júl. 3-án 1567.	60
XI. Ugyanazoknak ugyanaz. Pozsony, július 3-án 1567.	61
XII. Ugyanazoknak ugyanaz. Pozsony, július 5-én 1567.	62
XIII. Maximiliánnak Verancsics és Teuffenpach. Komárom, júl. 5-én 1567.	63
XIV. Ugyanannak ugyanazok. Komárom, júl. 6-án 1567.	64
XV. Wyss Albertnek Verancsics. Buda, júl. 11-én 1567.	65
XVI. A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach. Buda, júl. 12-én 1567.	65
XVII. Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián. Pozsony, júl. 17-én 1567.	72
XVIII. Ugyanazoknak ugyanaz. Pozsony, júl. 23-án 1567.	73
XIX. A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach. Sofia, aug. 4-én 1567.	75
XX. Ugyanannak ugyanazok. Tatar-Pazarczit, aug. 8. 1567.	77
XXI. Verancsics és Teuffenpach utazásuk Pozsonytól Konstantinápolyig.	78
XXII. Verancsicsnak, Wyssnek és Teuffenpachnak Maximilián. Bécs, aug. 30-án 1567.	84

Lap.

XXIII. Ugyanazoknak ugyanaz. Bécs, sept. 1-én 1567. . . 83
XXIV. A fegyvernyugvás-közben a törökök által elkövetett sérelmek. 1567. 89
XXV. Forgács Simon egri kapitány válasza a törökök panaszaira. 1567. 91
XXVI Folytatása a törökök által elkövetett sérelmeknek. 1567. 92
XXVII. Verancsicsnak, Wyssnek és Teuffenpachnak Maximilián. Bécs, sept. 3.án 1567. 93
XXVIII. A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach. Konstantinápoly, sept. 13-án 1567. 95
XXIX. Singkhmoser Márknak Verancsics. Konstantinápoly, sept. 18-án 1567. 101
XXX. Verancsicsnak, Wyssnek és Teuffenpachnak Maximilián. Bécs, sept. 19-én 1567. 102
XXXI. A császári felségnek Verancsics és társai. Konstantinápoly, sept. 25-én 1567. 105
XXXII. Verancsicsnak és társainak Maximilián. Bécs, sept. 28-án 1567. 110
XXXIII. Ugyanazoknak ugyanaz. Bécs, oct. 4-én 1567. . . . 111
XXXIV. Ugyanazoknak ugyanaz. Bécs, oct. 4-én 1567. . . . 113
XXXV. A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach. Konstantinápoly, oct. 7-én 1567. 115
XXXVI. Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Verancsics. . . 138
XXXVII. Mihály testvérének Verancsics. Konstantinápoly, oct. 12-én 1567. 139
XXXVIII. A császári felségnek Verancsics és társai. Konstantinápoly, oct. 24-én 1567. 140
XXXIX. Verancsicsnak és társainak Maximilián. Bécs, nov. 11-én 1567. 147
XL. Ugyanazoknak ugyanaz. Bécs, nov. 22-én 1567. . . 149
XLI. Verancsicsnak és Teuffenpachnak Maximilián. Bécs, nov. 25-én 1567. 166
XLII. Dornberg Vídnek Verancsics és társai. Konstantinápoly, dec. 7-én 1567. 168
XLIII. A felségnek Verancsics és társai. Konstantinápoly, dec. 21-én 1567. 170
XLIV. Ugyanannak ugyanazok. Konstantinápoly, december 21-én 1567. 181
XLV. Verancsicsnak és társainak Maximilián. Bécs, decemb. 24-én 1567. 189
XLVI. A császári felségnek Verancsics és társai. Konstantinápoly, dec. 29-én 1567. 191
XLVII. Ugyanannak ugyanazok. Konstantinápoly, december 29-én 1567. 194
XLVIII. Singkhmoser Márknak Verancsics és társai. Konstantinápoly, dec. 29-én 1567. 195

Lap

XLIX. Verancsicsnak és társainak Maximilián. Bécs, január 5-én 1568. 199
L. Mehmet nagyvezírnek Verancsics és társai. Drinápoly, jan. 28-án 1568. 201
LI. Ugyanannak ugyanazok. Drinápoly, jan. 28-án 1568. 206
LII. Verancsics és társai a békepontokat általadják a nagyvezírnek. Drinápoly, febr. 21-én 1568. 208
LIII. Verancsics Mihálynak Maximilián császár. Bécs, mart. 4-én 1568. 234
LIV. Követségi napló 235
LV. A követség kiadásairól számadás. 239
LVI. Dornberg Vídnek Verancsics és társai. Drinápoly, mart. 19-én 1568. 245
LVII. A császári felségnek Verancsics. Drinápoly, martius 19-én 1568. 246
LVIII. Busbecknek Verancsics. Drinápoly, mart. 19-én 1568. 248
LIX. A békeszerződés végtárgyalása. Drinápoly, mart. 20-án 249
LX. A császári felségnek Verancsics és Teuffenpach. Buda, apr. 29-én 1568. 275
LXI. Ugyanannak ugyanazok. Komárom, május 3-án 1568. 276
LXII. Verancsicsnak és Teuffenpachnak a császár. Bécs, május 4-én 1568. 277
LXIII. Ugyanazoknak ugyanaz. Bécs, május 5-én 1568. . . 278
LXIV. A császárnak Verancsics és Teuffenpach. Prellenkirchen, máj. 8-án 1568. 279

ELSŐ TOLDALÉK.

I. Az 1562. s 1564-diki békekötések. 283
II. 1565-diki szatmári pontok. 298
III. Maximiliánnak Muztafa budai pasa. Buda, júl. 28-án 1567. 300
VI. A budai pasának Maximilián. Bécs, aug. 30-án 1567. . . 301
V. Ugyanannak ugyanaz. Bécs, sept. 1-én 1567. 304

MÁSODIK TOLDALÉK

(folytatása az I. és II. kötet toldalékának.)

XXVI. 307
XXVII. 308
XXVIII. 309
XXIX. 310
XXX. 310
XXXI. 315
XXXII. 319

	Lap.
XXXIII.	320
XXXIV.	321
XXXV.	323
XXXVI.	324
XXXVII.	325
XXXVIII.	332
XXXIX$_a$.	335
XXXIX$_b$.	344
XL.	355
XLI.	356
XLII.	357
XLIII.	358
XLIV.	359
XLV.	360
XLVI.	372
XLVII.	375
XLVIII.	376
XLIX.	379
L.	381
LI.	382
LII.	388
LIII.	385
LIV.	387
LV.	391

A MONUMENTÁK

EDDIG KIJÖTT KÖTETEINEK ÁTNÉZETE.

Első folyam.

Ára 10 ft. 50 kr. új pénz.

1. sz. Első Osztály: Okmánytárak, I. kötet. *(Brüsszeli M. Okm. I.)*
2. sz. Második Osztály: Írók, I. kötet. *(Szerémi György Emlékirata.)*
3. sz. — — — II. kötet. *(Veranesics Munkái. I.)*
4. sz. — — — III. kötet. *(Veranesics Munkái. II.)*

Második folyam.

Ára 10 fr. 50 kr. új pénz.

5. sz. Első Osztály: Okmánytárak. II. kötet. *(Brüsszeli M. Okm. II.)*
6. sz. — — — III. kötet. *(Brüsszeli M. Okm. III.)*
7. sz. — — — IV. kötet. *(Brüsszeli M. Okm. IV.)*
8. sz. Második Osztály: Írók. IV. kötet. *(Veranesics Munkái. III.)*

Harmadik folyam.

Ára 10 fr. 50 kr. új pénz.

9. sz. Második Osztály: Írók. V. kötet. *(Veranesics Munkái IV.)*
10. sz. Első Osztály: Okmánytárak. V. kötet. *(Londoni M. Okmánytár.)*
11. sz. Második Osztály: Írók. VI. kötet. *(Veranesics Munkái V.)*
12. sz. Első Osztály: Okmánytárak. VI. kötet. *(Árpádkori új Okmánytár I.)*

Sajtó alatt, a részben sajtókészen állanak, a harmadik, negyedik, és ötödik folyam részére:

Az Első Osztályban: *Árpád-kori új Okmánytár* II. kötete.

A Második Osztályban *Veranesics Munkái* VI. VII. kötetei.

— — — *Brutus Magyar Históriája.* I. II. III. kötetei.

— — — XVII. századbeli Magyar Történetirók. I. II. kötet: *Illésházy István, Mikó Ferencz, Gyulaffy Lestár, Szamosközi István.*

— — — XVIII. századból: *Apor Péter Munkái.*

Egyes kötetek ára 3 ft. 15 kr. új pénz.

Pest, 1880. Emich Gusztáv M. Akad. nyomdász.

B'D